



Disputatio theologica de Jesu, e virgine Maria nato

<https://hdl.handle.net/1874/23257>

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

JESU, E VIRGINE MARIA NATO.

QUAM,

QUOD DEUS BENE VERTAT,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JANI ACKERSDIJK,

JUR. UTR. DOCT. ET PROF. ORD.

NEQ. NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN

T H E O L O G I A

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

JOHANNES JACOBUS VAN OOSTERZEE,

ROTTERODAMENSIS.

DIE XXIII. JUNII, ANNI MDCCCXL, HORA I.

TRAJECTI AD RHENUM,

TYPIS MANDAVERUNT **SCHULTZE & VOERMANS.**

MDCCCXL.

PRAEFATIO.

Quum studiorum via me eo perduxisset, ut de Dissertatione conscribendâ cogitare inciperem, tale quaerendum esse argumentum ratus sum, quod et hodiernae Theologiae conditioni aliquatenus congruum esset, et gravitate suâ se mihi commendaret, et cum studiis meis aliquam saltem conjunctionem haberet. Ejusmodi autem argumentum invenisse mihi visus sum, in eo, quod hac, qualicumque tandem Dissertatione, elaborandum sumsi: de quo, quae habeo, lectoribus offero. De ipsâ Dissertatione non multa, moneam, habeo: scripti enim distributio, indoles, tractandi ratio, ex ipso opusculo satis apparent. Nec mirum cuidam videatur, me in hoc potissimum argumentum incidisse. Spec-

tat enim illud ipsam Christi personam: quo magis autem percepi, hunc religionis nostrae auctorem, simul argumentum ejus constituere primum, id unicuique germano Theologo maxime agendum esse duxi, ut in ea, quae hanc personam spectant, diligenter inquirat, et sacram, de Christo exponentem, historiam, veluti nostrae salutis palladium, ab adversariorum dubiis, objectionibus, oppugnationibus tueatur. Pertinet porro, ad vitae Christi periodum, de qua multi nostris temporibus dubii haerent. Accedebat, quod hujus argumenti pertractatio sponte me duceret ad disquisitiones Historicas, Exegeticas, Dogmaticas, quae summopere semper mihi arriserunt, quo magis earum initia in Praeceptorum scholis summâ voluptate delibavi. Quod tamen ita intelligatur nolim, ac si difficultates me fugerint, quibus ejusmodi argumenti recta expositio prematur. Ita saepius me obruerunt illae, ut vix propositi tenax manerem. Nec tamen his me absterreri passus sum: sperans fore, ut eâ erga me aequitate essent cum humanissimi praeceptores, tum vero benevoli lectores, qua in juvenis parum periti opusculo dijudicando versari solent.

Quod si quae bonae frugis huic Specimini insint, (quae quantilla sint probe scio), haec optimae quae me institutioni debere fateor, quae in hac Academiâ mihi

contigit. Non tantum in scholis litterariis viae duces nactus sum egregios, GOUDOEVERUM in primis et HEUSDIIUM, unicum illum prorsus, verum etiam cl. SCHRÖDERI benevolentiam expertus sum, qui per biennium fere ad privatam illam disciplinam me admisit, ubi in gravissima philosophiae loca cum discipulis inquirere solet. Si autem ad institutionem meam Theologicam animum advertam, est, profecto! quod gaudeam, Deoque gratias agam, me scholae Trajectinae per quinque, et quod excurrit, annos, discipulum exstitisse. Quid enim utilitatis, unicuique in doctiorem N. T. interpretationem incumbenti, ex cl. BOUMANNI scholis Hermeneuticis, Exegeticis, Criticis, redundet, et omnes norunt, quibus mecum contigit iis interesse, et ipse, hoc elaborando specimine, expertus sum. Quod si vero in parte disquisitionis historicâ, nonnulla insint, haud prorsus contemnenda, praeclarae institutioni haec debeo cl. ROYAARDS, qui studii historici dux mihi exstitit unus in paucis eximius. Humanissimi viri benevolentiam, et antea semper, et recentissimo tempore ita expertus sum, ut auxilio, monitis, librorum copiâ mihi suppeditandâ, nunquam non mihi adfuerit, meque plane sibi devinxerit. Quidni venerabilem illum senem, HERINGAM dico, hic compellare licet? Vix argumentum meum elaborare aggressus eram, quum jam magnum illud

orbis litterati lumen exstingueretur. Semel tantum (juvat enim in memoriam revocare), paucis ante noctem illam taetalem diebus, cum desideratissimo viro de argumento meo, per longum adeo tempus, collocutus sum. Quam praesto erat monitis mihi adjungendis, auxilio promittendo, disquisitionis fontes indicando! Quanto flagrabat ardore, optimi Sospitatoris honorem vindicandi! Quantâ cernebatur prudentiâ, et liberalitate, et vero sinceritate, ubi in gravissima, quae cum argumento meo aliquo modo cohaerent, Religionis Christianae capita, datâ operâ, exspatiabamur! Quantâ cum animi voluptate eum, Theologiam Pastoralem per biennium tradentem, audivi, qua institutione nullam aut graviorem, aut gratiorem cogitari posse, omnes ejus discipuli profitentur. Sed non meum est, singularem prorsus virum laudare. Eorum vero quae in me contulit, beneficiorum nunquam non memor ero.

Quid vero Tibi debeam, Clarissime VINKE! Promotor aestumatissime, praeceptor carissime! dicere vix possum. Per omne enim tempus, quo studiis Theologicis operam navavi, maximâ me prosecutus es benevolentîâ. Theologiae Dogmaticae amorem singularem in me excitasti, discendi amorem aluisti, omnes denique meas res semper curae cordique habuisti. Hisce autem beneficiis cumulus accessit, recentissimo tempore, quum, Te duce, gravissimum Dissertationis

argumentum tractarem. Consiliis, monitis, auxilio, mihi roganti nunquam defuisti. Perge, Cl. Vir! eadem, dummodo eâ non prorsus indignus fuerim, amicitia gratum discipulum condecorare. E Tuâ omniumque Praeceptorum Cl. operâ, multum emolumentum capiat Academia nostra, imo tota patriae nostrae Ecclesia!

Quid vobis tandem dicam, Amici Conjunctissimi! Quoties vos his diebus intueor, toties animum intus afflictum sentio: imo, quod alios subinde testantes audivi: nullum juveni esse tristiores diem, quam illum, quo vitae Academicæ valedicat, ipse nunc experior. Qui enim alibi separatim hominum animos percutiunt dolores, ubi vel a matre carissimâ discedendum, vel a fratribus conjunctissimis abeundum, vel a peregrinationis stadio amoenissimo in regionem ignotam proficiscendum sit, hos dico, omnes nunc sentio, ubi et almae matri Trajectinae, et vobis, Sodalibus Amicissimis! et vero aetati juvenili, poeticae illi, vale sit dicendum. Si enim Academicæ vitae hoc debuerim, ut vere vivere inceperim, animumque explicare, vobis me hoc debuisse laete profiteor, ut vita mihi exstiterit vere vitalis! Quoties igitur horas illas mecum reputo fugaces, quas studiis et amicitiae dicabamus, variis sodalitiis conjuncti, (in primis vero in sodalitiis nostro, litteris

Orientalibus sacro), toties vestrum imago animo meo altius infigitur. Nonnulli Academiae jam valedixerunt, quorum memoriam nunquam non religiose colere pergo: plures vero hic relinquo, qui me abeuntem, scio enim, votis, amicitia, desiderio prosequentur. Sed quid plura? me cognitum habetis, Amici! et scitis, me amicorum non facile oblivisci. Idem de vobis spero: nec spero tantum, sed futurum esse probe scio. Si enim talis fuerit amicitia nostra (fuit autem revera) qua ad sanctissimum munus, cui vitam viresque consecrare avemus, praeparati simus, manebit illa et continuo augebitur. En dextra fidesque, Amici! Valeatis, meque amare pergatis.

Scrpsi Trajecti ad Rhenum,
die XIII. mensis Junii MDCCCXL.

DISPUTATIONIS CONSPECTUS.

INTROITUS.

	Pag.
Exponitur, quare potissimum ab enarratione historicâ disputatio exordiat.	1.
§ 1. <i>Dogmatis historia ante Concilium Nicaenum (1-325).</i>	4.
Primorum Christi cultorum sententia.	5, 6.
Dogmatis oppugnatio.	6-12.
Apologetarum nostro de argumento merita.	12-16.
Dogmatis constitutio atque incrementa.	16, 17.
§ 2. <i>A concilio Nicaeno usque ad tempora orientis Scholasticismi (325-745).</i>	18.
Ab omnibus h. t. placitum de Jesu mirifico ortu in Rel. doctrinâ admittitur.	18-20.
A nonnullis magis exornatur	20-23.
Cum gravissimis Religionis capitibus conjungitur	23-25.
Misere inquinatur	25-27.
§ 3. <i>A JOHANNE DAMASCENO usque ad Reformationem (745-1517).</i> 27.	
Ipsius DAMASCENI sententia	28.
Ecclesiae judicium de Haeticis nonnullis	28, 29.
Lis inter PASCHASIIUM RABBERTUM et RATRAMNUM.	29, 30.
Hujus periodi nota characteristicâ	30.
Scholasticorum atque Mysticorum opiniones.	31, 32.

	Pag.
§ 4. <i>A Reformatione ad Anglorum Deistas. (1517-1648).</i>	33.
Reformatorum sententia.	33.
Dogmatis constitutio in libris Symbolicis. Scholasticismus.	34-37.
Familiarum minorum nonnullarum sententia. Mysticismus.	37-40.
Ecclesiae Pontificiae recentioris sententia.	41, 42.
§ 5. <i>Ab Anglorum Deistis ad recentissima usque tempora.</i>	42.
Deistarum errores.	43.
Philosophiae efficacitas nostram in rem.	43-45.
Naturalismus.	45, 46.
FANTLI de nostro placito sententia. Rationalismus.	45, 46.
Christologia idealistica.	46, 47.
SCHLEIERMACHERI sententia.	49.
Schellingiana et Hegeliana Philosophia. STRAUSS. WEISSE.	50-53.
Apologia recentissima.	53.
Introitus conclusio. Insequentis disputationis distributio.	54.

P A R S I.

INTERPRETATIO NARRATIONUM, MIRIFICUM JESU ORTUM EXPONENTIUM

§ 1. Interpretatio loci Matth. I: 18-25.	56-71.
„ 2. „ „ „ Luc. I: 26-38.	71-90.

P A R S II.

ARGUMENTI, QUOD EXPOSITIS CONTINETUR NARRATIONIBUS, VINDICATIO.

Partis argumentum.	91.
----------------------------	-----

CAPUT PRIUS.

FUNDAMENTUM HISTORICUM SENTENTIAE NOSTRAE (APOLOGIA POSITIVA).

SECTIO I. Narrationum authentia.	93.
Ponderantur argumenta externa.	93-96.
Argumentorum internorum auctoritas in Criticâ q. d. altiore.	96-98.

E narrationum stilo atque argumento nulla argumenta interna jure depromuntur.	98-100.
Contra, argumenta interna omnino Capitum authenticam vindicant.	100, 101.
SECTIO II. Narrationum indoles vere historica.	101.
Quid Mythorum patroni de nostris narrationibus censeant, breviter exponitur.	102-104.
§ 1. <i>E nullâ causâ satis probabili hujusmodi Mythi ortus explicari potest</i>	104.
I. Neque e Judaeorum de Messîâ notionibus.	105-107.
II. Neque ex analogis V. T. narrationibus.	107-110.
III. Neque e profanae antiquitatis Mythis fabulisque.	110-115.
§ 2. <i>Ipsae nostrae narrationes nil continent, quo ad Mythum agnoscendum cogamur.</i>	115.
I. Frustra STRAUSSUS provocat ad earum nexum cum Evangeliiis Apocryphis.	117-125.
II. Frustra item provocat ad Angelorum legationes, nostris in narrationibus obvias.	125-129.
III. Neque meliore eventu earum pugnam cum naturae legibus urget.	129-131.
§ 3. <i>De caractere nostrarum narrationum pure historice</i>	131.
I. Provocatur ad auctorum consilium	132.
II. Ad tempus, quo narrationes exstiterint.	133.
III. Ad narrationum formam.	133.
IV. Ad rationem, qua, eas legentes, afficimur.	135.
SECTIO III. Narrationum nostrarum ἀξιολογία.	136.
Disquisitionis difficultas atque distributio.	137, 138.
§ 1. <i>Narrationum fontes.</i>	138.
Narrationis Matthaei fontes indagantur.	138-141.
De narrationis Lucanae fontibus agitur.	141-144.
§ 2. <i>Narrationum argumentum.</i>	144.
Nisi verae sint, quas tractamus, narrationes, parum intelligimus, quam ratione eorum <i>argumentum</i> exstiterit.	144, 145.
Neque perspicimus, quomodo <i>tali</i> ratione eas litteris mandare potuerint auctores.	146, 147.
Attenditur ad Psychologicam narrationum veritatem.	147.
Angelophaniarum veritas vindicatur.	148-150.
Narrationum argumentum <i>ex absurdo</i> defenditur.	151, 152.
§ 3. <i>Narrationum consensus.</i>	152.
Pugnae species exponitur.	153.
Pugnae tollendae ratio ostenditur.	154-157.
Ex ipsa hac specie documentum veritatis efficitur.	157.

CAPUT POSTERIUS.

OBJECTIONUM REFUTATIO. (APOLOGIA NEGATIVA.)

pag.

SECTIO I. Objectiones Exegeticae.	159.
§ 1. <i>Repugnantia in tabulis Christi Genealogicis.</i>	159.
§ 2. <i>Repugnantia in MARIAE, fratrum, aequalium sententia.</i>	165.
§ 3. <i>Repugnantia alia nonnulla</i>	171.
a. E denominatione <i>υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου.</i>	171.
b. E Lucae I: 40, 52.	172.
c. E JOHANNIS de <i>λόγῳ</i> doctrina.	173.
d. E narrationibus sacris, de Jesu baptismo exponentibus.	174.
SECTIO II. Objectiones e Jesu atque Apostolorum <i>silentio.</i>	176.
§ 1. <i>N. T. loca, quae ad nostrum argumentum a nonnullis referuntur, accuratius examinantur</i>	177.
Joh. I: 13. Gal. IV: 4. Hebr. VII: 3. Rom. I: 3.	177-181.
§ 2. <i>Jesu de mirifico suo ortu silentium.</i>	182.
Demonstratur, Jesum revera non saepe hac de re lo- cutum fuisse.	182, 183.
Rei causa quaeritur, 1. in Judaeorum notionibus (Joh. VII: 27.)	183.
2. In eorum, quo erant erga Christum, animo.	184.
3. In ipsius rei indole.	185.
4. In praecipuo Christi consilio	186.
Quaeritur utrum Apostolos hac de re uberius Christus instituerit.	187.
§ 3. <i>Apostolorum de nostro argumento silentium.</i>	188.
Nonnulla in antecessum monentur	188.
MARCI silentium.	189.
JOHANNIS silentium.	190-192.
PAULI silentium.	192, 193.
JACOBI et PETRI silentium.	194.
APOLOGIAE CONCLUSIO	194-196.

P A R S I I I .

REI MOMENTUM.

Partis argumentum. 197.

SECTIO I. Momentum historicum. 198.

	Pag.
Ad nunquam interruptam vitae Christi harmoniam attenditur	199, 200.
Hujus extraordinarii vitae initii convenientia ostenditur cum caeteris vitae Christi partibus.	201, 202.
In primis cum resurrectionis historiâ.	202, 203.
Conveniunt Christi natales cum verâ ejus naturâ humanâ.	204-207.
SECTIO II. Momentum Dogmaticum	207.
§ 1. CHRISTUS ὁ ἀναμάρτητος.	207.
§ 2. CHRISTUS ὁ εἰκὼν τοῦ Θεοῦ-ῥήματα ἔχων ζωῆς αἰωνίου.	213.
§ 3. CHRISTUS ὁ ἀμνος ἄμωμος καὶ ἄσπιλος.	216.
SECTIO III. Momentum ethicum.	219.
Obs. I. E Jesu extraordinariâ nativitate egregie apparet, qualis revera sit humana natura, et quantopere haec differat ab hodiernâ hominis conditione	220.
Obs. II. In Christo, e Spiritu nato, adeoque ἀναμαρτήτῳ, summum nobis cernere licet perfectionis humanae exemplar archetypum, quod omni virium contentione imitari nos oportet	222.
Obs. III. Symbolicâ quadam ratione Christi e Spiritu Sancto origo nobis commonstrat, quali ratione et nos ad propositam Christi perfectionem pervenire possimus.	225.



ὁ λόγος οὐκ ἐγένετο·

INTROITUS.

INQUIRITUR IN RATIONEM, QUA DE ARGUMENTO NOSTRO, VARIO
TEMPORE, STATUERIT ECCLESIA CHRISTIANA.

Acturo de Sospitatoris e Maria virgine ortu, a nulla re aptius exordiri posse mihi visa est disputatio, quam ab enarratione historicâ. Prouti enim argumentum Religionis Christianae maximam partem historicum est, ita ab historiâ unumquodque doctrinae nostrae placitum plane pendet. Nisi enim vetustatis illam nuntiam testantem audiverimus, et luce illâ veritatis collustrati fuerimus, incerti dubiique haereamus in mediis hominum opinionibus, commentis, philosophematibus, necesse est. Quapropter, quo magis expertus sum, Theologiae studium jure *historicum* dici, eo saepius id mihi proposui, ut, pro virium tenuitate, in placitorum originem, additamenta, corruptionem, formam, mutatam primum, deinde vero in integrum rest.

tuendam, datâ operâ inquirerem. Neque id a nostrae disputationis consilio alienum fore ratus sum. Ratio enim, quâ nostram rem tractare, ac de eâ statuere solent nostri aevi homines, non rite dijudicari posse videtur, nisi antea perspexerimus, quosnam per gradus placitum nostrum ad hodiernum suum statum pervenerit, quove modo per varia saecula sese excoluerit Ecclesiae Christianae de eodem loco doctrina. In re autem, cujus tam raram mentionem iniecerunt N. T. auctores, haud inepte videbitur, eos auscultare, qui actati Apostolicae vixerunt propiores. Porro, cuinam causae sit tribuendum, quod a nostrâ re amplectendâ tot viri docti sint maneatque alieni, optime perspiciemus, si sobriam atque modestam Ecclesiae Apostolicae fidem, vario Marte agitatam viderimus, quin etiam humanae stultitiae commentis corruptam atque inquinatam. Hac tandem viâ procedentes, optime rationem intelligemus, quâ, humanis somniis nugisque rejectis, ad Apostolicam simplicitatem redeamus, in re tractanda, quam gravem, quin gravissimam esse, mox, ut spero, comperti erimus.

Nec profecto suavitate caret, nec difficultate haecce disquisitio nostra. Varium spectaculum nobis praebabit pro variâ temporum atque hominum conditione. Jesu e Mariâ virgine originem nunc fide agnitam, mox dogmaticae constitutam, alio tempore cum variis placitis Religionis Christianae conjunctam videbimus, alio vero acriter negatam. Opportunitas nobis offeretur, humanam stultitiam deridendi, imo vero saepiùs opinionum insaniam deplorandi. Ne tamen leve quis dixerit pensum hocce nostrum! Variis enim privisque premitur difficultatibus. Difficile

est, fatebor enim, justos terminos tali disquisitioni ponere. Si enim omnium, qui unquam de doctrinâ Christianâ bene meruerint, sententias colligere atque depromere velis, cave, ne vel vanae doctrinae ostentatione lectores avertas, vel opus suscipias parum fructuosum, vel, Prooemii loco, plenam commentationem conscribas. Si vero, praecipuas unice rationes indicare studeas, quibus vario tempore nostra res fuerit tractata atque exulta, verendum est, ne vel aliquid omittas, vel eos insalutatos praetereas summos viros, qui, si non novam lucem argumento nostro attulerint, de eo tamen constituendo et confirmando egregie meruerint. Unde vix aut ne vix quidem cavere potui, ne, Scyllam evitare studens, in Charybdin miser inciderem. Tum vero, mihi non tam felici esse contigit, ut duce, quem in hac viâ tuto sequi possem, nactus fuero. Nemo saltem mihi innotuit, qui in hujus rei disquisitione historicâ peculiarem operam posuit (1). Historiae Dogmatum auctores vel obiter tantum eam attingere, vel rem ponere magis quam probare solent: quod de antiquâ in primis valet placiti historiâ. Unde saepius ex ipsis antiquis fontibus hauriendum, atque ubivis circumspiciendum fuit, an aliquid hac de re tradiderint scriptores Ecclesiastici. Quae tamen difficultates, ut fit, juvenilem temeritatem magis excitarunt, quam cohibuerunt. Plurima ipse desidero in hac, quam qualemcumque tandem lectoribus offero, disquisitione; atque

(1) Ad finem jam perductâ opellâ, in manus mihi pervenit libellus LUDEWIGII, *Historische Critische Untersuchungen über die verschiedene Meinungen von der Abkunft J. C. Wolfenbüttel 1831*. Quem doleo, me non antea in meum usum convertere potuisse.

sexcentis compertus sum, plus in me voluntatis et studii esse, quam facultatis et ingenii. Sed, quid plura? Jam igitur in argumenti campum amplissimum excurramus, et *primum* quidem videamus, quid de nostrâ re Eccl. Christiana statuerit, *ante concilium Nicaenum* (325).

§ 1.

Si ab antiquitate praesidiû quid accipere potest sententia, hoc certe nostrae tribuendum videtur, quod minime diu post Christi e terris decessum existit, sed, vigente adhuc Apostolicâ aetate, a plerisque fuit recepta atque agnita. Quod haud difficile est probatu. Etiam si igitur hic non urgemus vestigia rei in Apostolorum epistolis genuinis occurrentia, vel sic tamen MATTHAEI et LUCAE narrationes, de quarum authentiâ postea videbimus, tam antiquae sunt atque ab omnibus receptae, ut de sententiâ antiquissimâ genuinum testimonium edant. Praeterea idem apparet ex iis, quae de SIMONE MAGO narrantur, qui se a matre RACHELE, absque viri coitu, conceptum esse contenderet. Impostor autem hicce, se ipsum *δὲρα μὲν Θεοῦ* nuncupans, (Act. VIII, 9, 10) divinamque dignitatem prae se ferens, eas, quae de Jesu ei innotuerant, narrationes sibi aptavit, atque ita testimonio, haud negligendo, nobis commonstravit, antiquissimo jam tempore nostrum argumentum ad traditionem pertinuisse, quae in ore Christianorum de Christi vita fatisque circumferebatur. (1) Unde

(1) Cf. *Recognit. Clementinae* II. c. 14. (Tom I. patrum Apostolicorum, Edit. Cotelerii p. 508).

et in Euangeliis Apocryphis Apostoli informantur discrete hac de re disserentes. (1) Confitendum tamen est, neque Apostolos hoc placitum in Religione Christiana primarium habuisse, neque primos Christi cultores multos fuisse in re investigandâ, propagandâ, et exponendâ, imo saepius de ea silentium tenuisse. Cujus tamen silentii causae gravissimae dari possunt, (quâ de re postea nobis exponendum erit), unde non multum molestiae nobis creat. Quid, quod quicumque eo tempore Christo nomen dederant, maxime vitae ejus publicae recordarentur, cujus plurimi eorum ἀντίοικται fuerant, aut in morte ejus memorandâ erant toti, aut in resurrectione celebrandâ, quae iis spei saluberrimae fontem recluserat. Constat tamen, historiae Christi partem, quam nos tractamus, iis haud ignotam fuisse. Cujus rei observatio maximi esse momenti videtur. Inde enim apparet, non praecipue opinionibus *Dogmaticis* primum pervenisse Christianos ad nostram rem agnoscendam, sed potius argumentis *historicis*. Eo tempore nimirum, viventibus adhuc Mariâ Apostolisque, inquirenti unicuique facile constare poterat de re, ad vitae primordia Christi pertinente. Constat igitur, rectissime ad ea, quae per Apostolicam doctrinam manifesto traduntur, hoc quoque ORIGENEM retulisse, « quod Christus corpus assumpsit, nostro corpori « simile, eo solum differens, quod natum e virgine et

(1) Cf. *Apost. hist. de S. BARTHOLO.* cap. 4. « Unde scire te volo, quia filius Dei dignatus est, per uterum virginis nasci cum homine, ita ut homo in virginis vulva conceptus, secum inter ipsa secreta virginis haberet Deum. Cf. FABRICIUS, *Cod. Apocr. N. T. Tom. 1* p. 675.

Sp. S. est.» (1) Nec mirum adeo, ipsos quoque *Patres Apostolicos* discrete statuisse, Jesum e Maria virgine per Spiritum Sanctum esse natum. Hi, quamvis quo modo factum illud sit non describentes, quod modestiae exemplum utinam semper secula esset nimis curiosa posteritas! tamen ipsam rem probe tenuerunt. Certe hoc nobis de IGNAPIO constat, qui in Epist. ad Ephesios cap. 7. « εἰς ἕαρος ἐστὶν, inquit, σάρκικός τε καὶ πνευματικός, γεννητὸς ἐν σάρκι γερόμενος θεός, ἐν ἀθανατῷ ζωῆ ἀληθινή, καὶ ἐκ Μαρίας καὶ ἐκ θεοῦ, πρῶτον παθήτος, καὶ τότε ἀπαθήτος. Obiter de Christi origine humanâ mentio quoque injicitur in Ep. ad Hebraeos, quae BARNABAE nomine circumfertur, cap. V. 15 - 18. (2)

Neque tamen omnibus de re nostra persuasum erat. Exstiterunt, qui eam acriter negarent, Jesum filium MARIAE atque JOSEPHI habentes, atque in duas potissimum partes abeuntes, in *Ebionitismum* nimirum atque *Docetismum*. De singulis verbulo monendum.

Ad *Ebionitas* quod attinet, hi Jesum habuerunt ψῖλον ἄνθρωπον ἐξ ἄνθρώπων γενομένον: rem igitur nostram rejecerunt: neque duo priora MATTHAEI Evang. Capita

(1) Vid. ejus opus περὶ ἀρχῶν § 4. cf. § 2. Libro I. E dictis jam concludere licet, quantopere et alii errent et in primis *Crellius* (*Initium Evang. Joh. P. II. Diss. II. p. 573. sub nomine Artimonii editum*) qui putant, hanc narrationem a JUSTINO Martyre primum esse inventam, deinde vero a multis receptam. Quamvis enim JUSTINUS perquam placide de iis judicat, qui, ipsius tempore, historiam nostram rejiciebant, (quod certe acrius fecisset, si sententiae a se inventae veritatem propugnasset), tamen ipse hos, tanquam a communi Christianorum fide aberrantes atque recedentes, describit atque perstringit.

(2) Cf. de hac Epist. auctores, quos laudat *Gieseler*, K. G. I. p. 122.

recepisse videntur. Quod diserte in iis reprehendit IRENAEUS, (*adv. Haer.* V. 1). «Ebionaei — neque intelligere volentes, quoniam spiritus sanctus advenit «in Mariam et virtus Altissimi obumbravit eam, quapropter et quod generatum est, sanctum est, et filius «Altissimi Dei patris omnium, qui operatus est incarnationem ejus, et novam ostendit generationem, ut, «prouti per priorem generationem mortem haereditavimus, sic per generationem hanc haereditaremus gloriam.» Unde idem IRENAEUS tradit, Judaeo-Christianis minime placuisse, quod LXX loco JESAIÆ VII: 14 vocem πρῆγ per παρθένον reddiderint, quia sic Christianis pro eorum sententiâ argumentum suppeditaverant ipsi. (*Adv. Haer.* III: 21). Tenendum autem est, non omnes Judaeo-Christianos ejusdem erroris fuisse socios. Prae-
 cunctibus enim ORIGENE et EUSEBIO (1) duplex eorum distinguimus genus, quorum alterum, EBIONITAE, rem rejecerunt: alterum vero, nempe NAZIRAEI, Jesum e Maria virgine natum contendebant. Neque difficile est, horum errorum causam ostendere. Plerique enim e Judaeo-Christianis, rigido Monotheismo addicti, Messiam quidem habebant Jesum, divinam vero naturam ei abnegabant, neque eo pervenire poterant, ut εὐὸ θεῖον in Christo, ejusque ἐνσαρκώσιν in naturâ humanâ agnoscerent. Ad CERINTHUM singulatim quod attinet (sive eum ad Judaeo-Christianos referas, seu, si mavis, ad Gnosticorum προδρομοὺς), huic etiam viro nostram rem fuisse σκάνδαλον καὶ μορτίαν certo novimus. (2)

(1) Vid. ORIGENES, *Contra Celsum* VI. 61. EUSEBIUS, *Hist. Ec.* III. 27.

(2) Vid. EUSEB. *H. E.* III. 28.

Nemini vero, CERINTHI placita paulo accuratius perpendenti, hoc mirum videbitur. CERINTHUS enim (verba sunt IRENAEI l. c. I. 26). « Jesum non subjecit e virgine « MARIA natum, impossibile hoc enim ei visum est; fuisse « autem eum JOSEPHI et MARIAE filium, similiter ut reliqui « omnes homines, et plus potuisse justitiâ et prudentiâ « et potentiâ ab hominibus. » Idem ille CERINTHUM tradit (III: 11.) Jesum dixisse filium *fabricatoris* (JOSEPHINE an *δημιουργοῦ*?) Ut vero sponte intelligamus, hanc erroneam sententiam, ab Ecclesiâ Catholicâ, omnium consensu, damnatam fuisse, EPIPHANIUM invitemus, acerrimum illum Haereticorum oppugnatorem, qui nobiscum sententiam suam de CERINTHO communicet. « Quocirca, inquit (1) « deprehensus undique ac convictus CERINTHUS « tenetur, una cum iis, qui eodem in errore versantur, « quippe quae omnia cum Sacris Litteris aperte pugnent. Nam neque de JOSEPHI foeminâ natus est Christus; quî enim prodigium esse posset illius generatio, « ac, quod ab JESAIÂ dictum est, probari omnino posset: « *Ecce, virgo concipiet* etc. JESAIAE VII: 14. Quae « nam vero ratione perfici poterit illud, quod GABRIELI « virgo sanctissima dixit (Luc. I, 34) cui ille respondet « *Spiritus S. superveniet te* etc. (ib. vs. 35). Nonne « illorum ex eo stultitia facile vincitur, quod diserte « in Evangelio Scriptum est (MATH. 1: 18). *Inventum est « in utero anteaquam convenirent?* Illud autem *certissimum* est, nunquam illos convenisse: absit enim, ut id

(1) HAER. XXVIII: 7. Quem locum de industria hic describendum esse putavimus, quia et in eo opinionem de Mariâ *semper* virgine strenue defensam videmus.

« unquam dicamus: alioqui cum in cruce penderet,
 « non Sancto JOANNI, qui ipse et virginitatem serva-
 « verat, matrem commendasset suam. Hanc enim vel
 « cognatis suis committere oportuit, vel JOSEPHI liberis,
 « si quos ex ipsâ sustulerat, puta, JACOBO, JOSAE, JUDAE,
 « SIMEONI, quos JOSEPHUS aliâ ex uxore genuerat. Neque
 « enim illum cum MARIA consuevisse, ullo modo re-
 « perimus. »

Quod autem experientia quotidie docet, ad extrema homines ruere solere, id quoque in nostrâ re haud uno nomine confirmatum est. *Judaeo-Christiani* eam rejecerunt, quippe in sublimiorem Christi naturam iniqui: mox vero alii exstiterunt, qui vere humanam ejus naturam turpiter negligenter, *Docetas* dico. Hi enim corpus non vere humanum, sed ἐν δοξίσει tantum καὶ γαρρασίῃ Sospitatori tribuentes, non poterant non, alto supercilio, Ecclesiae sententiam de nostro placito despiciere. Cujus Docetismi vestigia, quod ad nostram rem, deprehendimus cum in Gnosticismo, tum in Manichaeismo. Ad illos quod attinet, BASILIDES docuit, « Christum non ab hoc, qui fecerit mundum, sed ab illo ABRAXA missum venisse in phantasmate, et sine substantia carnis fuisse. » (1) CARPOCRATES vero Christum dixit, « non de virgine Mariâ et de Spiritu S., sed « de semine JOSEPHI hominem natum, deque eo natum « carnaliter, sicut omnes homines, suspicatur. » (2) Unde CARPOCRATIS sectatores eo nomine perstrinxit EPI-

(1) Vid. TERTULLIANUS *adv. Haeret.* c. 18.

(2) Vid. PHILASTRIUS *de Haeres.* c. 12.

PHANIUS, (1) quod « quicumque firmo ac constanti ingenio
 « est praeditus, intelligere istud debeat, nihil esse toto
 « hac circulatorum officinâ stultius. Quos quidem suis
 « ipsorum verbis ignominiose convincere possumus. »
Ophitae rem nostram non rejecisse videntur. (2) Maxime
 memorabilis tamen est VALENTINI sententia, qui statuit;
 « Jesum hominem per Mariam transiisse, veluti aquam
 « per canalem, cum quo homine *συνίῳ* Christus deinde
 « se conjunxit opportunitate Baptismi. » (3) Dixit enim
 « Christum de coelo carnem detulisse, nihil autem ac-
 « cepisse de sanctâ Virgine, sed, ut aquam per rivum,
 « ita transiisse per eam » affirmat. (4) De *Syris* Gnosticis
 si quaeris, SATURNINUS diserte docuit « Christum in
 substantiâ corporis non fuisse, » (5) quod item alii statu-
 isse videntur. MARCION etiam cum iis fecisse videtur,
 quippe Christo corpus adscribens mere Doceticum, quam
 sententiam ut probaret, idem ille, qui N. T. Canonem,
 aliis quoque nominibus, adulterasse videtur, ita processit
 ut « id, quod est secundum Lucam, Euangelium circum-
 « scinderet, et omnia, quae sunt de generatione Christi
 « conscripta, auferret. » (6) Neque melius de nostra re
 meruerunt MANICHAEI. Quum enim, MANETE auctore,
 Christus hac in terrâ in corpore Docetico apparuerit,
 et κατὰ δόξαν tantum passus fuerit, ut ita symbolice

(1) *Haeres.* XXVII Libr. I. tom II.

(2) Vid. BAUMGARTEN CRUSIUS, *Dogmen-Gesch.* I. 140.

(3) Ita IRENAEUS. I. c. I. 1. cf. TERTULLIANUS *de corp. Ch.* c. 19 - 22.

(4) Cf. PHILASTRIUS, I. c. cap. 10.

(5) Ita TERTULLIANUS *adv. Haeret.*, cap. 18.

(6) Ita IRENAEUS I. c. I. 29.

depingeret conditionem lucis, materiâ oclusae, (*Jesus passibilis*), satis apparet, in tali doctrinae absurditate, nostro placito nullum remansisse locum, sed *symbolice* id quoque ab eo acceptum esse. (1) Vidimus igitur rem nostram ab iis aeque rejectam fuisse, qui Christum merum hominem haberent, et qui divinam prae humanâ efferrent naturam. Quae tamen eorum opinio neque in traditione Apostolica fundata, neque auctoritate Ecclesiasticâ confirmata fuit. Unde jam apparet, quantopere a vero aberrent, quicumque ex Ebionitarum atque Docetarum opinionibus argumentum arripuerint ad extraordinariam Christi nativitatem impugnandam. (2)

Neque tantum in Ecclesiae Christianae sinu plures

(1) Vid. *Epistola* AUGUSTINI contra *Ep. MANICHAEI* cap. 8. Canonica Euangelia magna ex parte rejecisse videtur MANES, vid. GIESELER, *Kirchengesch.* I. 247. sq. et auctores ibi citati.

Caeterum hos aliosque errores indefesso studio oppugnavit Ecclesia: cujus rei exemplum praebet IRENAEUS, libro III. *adv. Haer.* qui nostrae rei Apologiam persecutus est a Cap. 21–31. Ita e. g. Cap. 21 argumentatur contra eos, qui dicunt Jesum de JOSEPHO generatum. Cap. 24 *Ostensionem* continet, quod « ecce *virgo* in utero habebit, et non *adolescentula*. » Imo Cap. XXVIII et XXIX rem probare conatur e Dan. II: 34 et Exod. VII: 9. — Cap. XXX ita argumentatur. « Quodsi Jesus JOSEPHI filius fuisset, non *rex* vocari posset. (Jeremiae XXXVI: 30, 31, JOJAKIMO minatus erat JENOVA, neminem e suâ stirpe thronum ascensurum esse; JOSEPHUS autem unus erat e JOJAKIMI posteris: si igitur JOSEPHI filius est Christus, eventu non comprobatum est oraculum.) Cap. XXXI *probat*, quod homo, per quam *projectus* erat e *paradiso*, per hanc iterum *intrat in Paradisum*. (EVA lapsûs, MARIA redemptionis causa: ADAM et CHRISTUS immediate a Deo procreati.) Cap. XXXI. *contra eos* argumentatur, qui *Christum nihil de* MARIâ *accepisse* contenderent.

(2) Ita WEGSCHEIDER, *Th. Dogm.* § 123. p. 449. sq. et auctores ibi laudati.

fovebantur, qui Ecclesiae fidem hac de re impugnabant, sed et extra eam *cum* Judaei, *tum* Ethnici, acerrimi Religionis Christianae adversarii, datâ operâ hanc ejus partem negarunt, calumniati sunt, irriserunt; *Judaei* enim Sospitatoris matrem STADAM dixerunt, patrem vero PANTHERAM SIVE PANDIRAM, JOSEPHI cognomine; Jesum vero adulterio conceptum esse affirmarunt. (1) A *Judaeis* quoque hanc rem ita se accepisse fatetur CELSUS, qui diserte affirmabat, Christianos turpiter mentitos esse, Sospitorem e virgine Mariâ natum profitentes; contra statuit ille, Jesu matrem, cum a fabro, qui illam sibi despondisset, temeratae pudicitiae rea, gravidaque a milite, cui PANTHERAE nomen erat, deprehensa esset, expulsam fuisse. (2) Quae calumniae non poterant non eorum suffragia ferre, qui animo erga Religionem Christianam inimico compositi erant: quorum exempla *et* alii nobis praebent, *et* in posteriore aetate, JULIANUS *Apostata*. (3) In genere, adversarii Religionis Christianae hac etiam re offendebantur, atque in malam partem eam explicabant. (4)

Operae pretium est, animadvertere, quot nominibus *Apologetae Christiani* de nostrâ re bene meruerint. Levi penicillo delineare studebimus, quâ maxime ratione

(1) Ita imprimis auctores libri מִלְחַמַּת יְהוֹשֻׁעַ de cujus tamen aetate nil constat, cujusque commenta refutantur in libro antiquissimo WAGENSEILLI «*Tela ignea Satanis.*» Utriusque uberiolem mentionem injecit LUDEWIG. l. c. pag. 81 et 107.

(2) Vid ORIGENES, *contra Celsum Libro I. § 22.*

(3) Vidd. CYRILLI ALEXANDRINI VIII libri *contra Julianum.* (Opusculum Tom. 3. pag. 175, 181.)

(4) Vidd. quae monet GECILIUS, Ethnicorum vindex, in MINUTII FELICIS *Octavio § 84.*

eam defendere aggressi sint. In genere opinionem eorum, qui Jesum merum habebant hominem, rejiciendam cen-
 sebant. Ita JUSTINUS e. g. (1) εἰσὶ τινες, inquit ἀπὸ
 τοῦ ἡμετέρου γένους ὁμολογοῦντες αὐτὸν Χριστὸν εἶναι,
 ἀνθρώπων δὲ ἐξ ἀθρώπων γεγόμενον, ἀποφανόμενοι,
 οἷς οὐ συντίθεμαι, οὐδ' ἂν πλεῖστοι ταῦτα μοι δοξάσαν-
 τες εἴποιεν. Ut vero rem Ethnicis explicarent, vel eam
 cum Ethnicorum Mythis comparabant; ita, e. g. idem
 ille JUSTINUS: εἰ διὰ περθέρον γεγενῆσθαι (Χριστὸν)
 γέρομεν, κοῖνον καὶ τοῦτο πρὸς τὸν Περσέα ἔστω ὑμῖν (2),
 vel e legibus naturae eam aliquatenus exponere stude-
 bant; ita, e. g. LACTANTIUS (3): « Descendens igitur
 de coelo, » inquit, « spiritus ille *Dei*, sanctam virginem
 « in cujus utero se insinuaret, elegit. At illa, divino
 « spiritu hausto repleta, concepit, et sine ullo attactu
 « viri repente virginalis uterus intumuit. Quodsi ani-
 « malia quaedam vento aut aurâ concipere solere, om-
 « nibus notum est, (quod probat loco citato e VIRGILII
 « *Georgicón* III vs. 272-275), cur quisquam mirum
 « putet, cum Spiritu *Dei*, cui facile est, quidquid velit,
 « gravatam esse virginem dicimus.» Quibus nisi me-
 liora scripsisset, LACTANTIUS non fuisset LACTANTIUS).

(1) JUST. *Dial. c. Tryphone* c. 48 p. 144.

(2) Vid. JUST. *Apologia* I. c. 22. cf. ORIGENES *contra Celsum* I. 37.
 Utrumque locum refert HASE, *Evang. Dogmat.* p. 271. Neque tamen
 ex eo, quod JUSTINUS nostram rem cum Graecorum Mythis comparet,
 sequitur, eum utrasque simili loco habuisse: κατ' ἀνθρώπων ita ratio-
 cinatur, quod etiam apparet e loco citato, ubi in sequentibus narratio-
 nes Evangelicas de Jesu morte explicare studet, e vicinis nonnullis
 narrationibus de diis ethnicorum.

(3) *Institut. Divv.* IV. 12.

Alii porro rei analogiam ex aliunde cognitis exponere studuerunt: ita TERTULLIANUS, et IRENAEUS (1) hoc in primis urgebant, EVAM tanquam *virginem* a Diabolo ad malum perductam esse, MARIAM vero tanquam *virginem* illum Dei filium concepisse, ἵνα λύσῃ τὰ ἔργα τοῦ διαβόλου. (1 JOH. III: 8). Neque dissimili ratione JUSTINUS rei consilium in eo invenit, « quod ita Christi « origo e concupiscentiâ inordinatâ non obtinebat, et « Diabolo ostendebatur, Deum etiam sine hac concupiscentiâ homines procreare posse. » (2) Denique ad V. T. provocabant, in primis ad locum JESAIÆ VII: 14, quem ad Messiam retulerunt h. t. ad unum fere omnes, qui rem nostram attingebant. Labet iterum JUSTINUM audire, qui hoc de argumento copiosius exposuit. Ἐλέχθη δὲ οὕτως, inquit, ἰδοὺ, ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἔξει, καὶ τέξειαι υἱὸν· καὶ ἐροῦσιν ἐπὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ, μεθ' ἡμῶν ὁ θεός. Ἄ γὰρ ἦν ἄπιστα καὶ ἀδύνατα νομιζόμενα παρὰ τοῖς ἀνθρώποις γενεσέσθαι, ταῦτα ὁ θεός προεμήνυσε διὰ τοῦ προφητικοῦ πνεύματος μέλλειν γίνεσθαι, ἢ ὅταν γένηται μὴ ἀπιστηθῆ, ἀλλ' ἐκ τοῦ προειρηθῆσαι πιστευθῆ. Vaticinii atque Evangeliorum sensu exposito, eos refutat, qui nostram rem Ethnicorum Mythis adaequabant. Quomodo autem res obtinuerit, sic exponit » ἀδύναμις θεοῦ ἐπελθοῦσα τῇ παρθένῳ ἐπισκίασεν αὐτήν, « καὶ κνοφορήσῃ παρθένον οὖσαν πεποίηκεν. Πνεῦμα ἔλθὼν ἀεὶ τὴν παρθένον καὶ ἐπισκίασεν, οὐ διὰ συνοσίας, « ἀλλὰ διὰ δυνάμεως, ἐγκύματα κατέστησε » (3).

(1) Vid. TERTULLIANUS, *de carne Christi*, cap. 21. IRENAEUS l. c. III. 31.

(2) Vid. JUSTINUS, *in Fragmento de Resurrect.* Operum p. 589.

(3) Vid. JUSTINUS, *Apologia* I. cap. 33. Totum locum, quamvis nostrâ

Peculiare denique momentum ORIGENIS *Apologia contra Celsum* nostrâ in re habet; huic enim acerrimo Religionis Christianae adversario (cujus opus refertur ad annum 150 P. C. N.), memoratas calumnias in Jesu matrem proferenti, fuisse respondet ORIGENES, cap. 32-37 libri I, variis argumentis hunc in finem usus. *Primum* quidem animadvertit, minime vero simile esse, Jesum, qui maxima quaeque suscepit in generis humani salutem, eâdem ac caeteri homines ratione, in lucem fuisse editum, quin nequissimam ac turpissimam originem habuisse. «Animis enim singulis, inquit, «corpora «pro meritis moribusque adjungere solet divina Sapientia.» *Deinde* addit, quod ex tali impudico coitu potius vir nefarius atque incestus nasci debuisset, quam Christus, omnium virtutum doctor atque exemplar. *Tum* provocat ad vaticinia antiqua, quae, rem ita eventuram esse, olim jam annuntiaverant. *Porro*, analogiam animadvertit inter Christi hanc mirificam originem atque rerum naturam, ad ipsorum Graecorum sententiam provocans, non omnes homines e mari et foeminâ esse natos. *Denique*, rem nostram comparat cum vicinis Ethnorum fabulis Mythisque. (1) Si quidem nonnulla in hac argu-

in re Classicum, describere non possumus, ne longi simus. IRENAEUS l. c. III. c. 28, 29 quoque argumentum e DAN. II: 34. EXOD. VII: 9 petiit. LACTANTIUS l. c. ad JES. VII: 14 provocat.

(1) Alio loco (*de recta in Deum fide*, sect. 4. Tom. I. p. 355. ed. de la Rue) MARINUM refutat ORIGENES, BARDESANIS assecutum, qui Christum per Mariam, non ex Maria natum dicebat, *Valentinianorum* more: contrarium probat e formulâ τὸ ἐκ σοῦ (non διὰ σοῦ) γεννώμενον. Luc. I. 35.

mentatione desiderentur, nonnulla vero in eadem inveniuntur, quae illud

« Nec tali auxilio, nec defensoribus istis »

in mentem nobis revocent, tamen ex aevi illius ratione hoc dijudicandum est, quin grato animo agnoscendum, nos *et* Adamantio, *et* aliis Apologetis permulta debere, quibus res nostra magis stabiliatur.

Neque tamen placitum nostrum adversus Haereticos atque Ethnicos defendit tantum Ecclesia Christiana, sed ipsam rem quoque constituit atque uberius excoluit. CYPRIANUM audiamus. (1) « UNUS GABRIEL, » inquit, « virgini « obumbrationem altissimi nunciat. Spiritu Sancto obumbrante (sc. Mariae) incendium originale extinctum est; « miror Deum in utero virginis; miror omnipotentem in cucubulis etc. » Ita extraordinariam Christi originem retulit ad ejus puritatem moralem, et ad naturam sublimiorem. Quà autem ratione cum his rebus gravissimis cohaereret illa, non probe perspexisse videntur illi Patres: varias saltem hac de re opiniones invenimus. JUSTINUS *Martyr* e. g. ita sibi rem proposuisse videtur, ut *λόγον* divinum eundem haberet cum *πνεύματι ἁγίῳ*, quod haud temere effeceris ex ejus verbis « *διὰ λόγου Θεοῦ σαρκωποιήθεις « Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν.* » (2) NOVATIANUS vero, CYPRIANI aequalis, τὸ ἅγιον, e Mariâ virgine natum, distinxit a filio Dei, ita pronuntians: « Legitimus Dei filius, « dum Sanctum illud, e Maria prognatum, assumit, et sibi

(1) Vidd. CYPRIANI *Opera*, *Edit. Antwerp.* 1589. p. 402. quem laudat LUDWIG. l. c. p. 99.

(2) Vid. *Apologia major* p. 63 et 83. cf. MUNSCHER, *Handb. der Christ. Dogmengesch.* 3a Edit. II. p. 170.

« filium hominis annectit, filium Dei facit, quod naturaliter non fuit. » (1) ORIGENES autem, uti jam vidimus, rem nostram referebat ad ea, quae per Apostolicam doctrinam traduntur, et ab ejus inde tempore placitum de Christo, e Mariâ virgine nato, ubique fere receptum fuit. Imo *Symbolicâ* ratione idem ille ORIGENES rem exposuit, qui locum LUCAE I: 35 ita ad verbum explicat, ut haec etiam adjiciat. « Nativitas Christi ab umbrâ sumsit « exordium; non solum autem in Mariâ ab umbrâ ejus « nativitas coepit, sed et in te, si dignus fueris, nascitur « sermo Dei. Fac igitur, ut possis capere umbram ejus, « et cum umbrâ dignus fueris effectus, veniat ad te, « ut ita dicam, corpus ejus, ex quo umbra nascitur » (2). Neque illi, qui hac aetate iniquiores censebantur in Christi divinam naturam, *Monarchianos* dico et *Subordinatianos*, Ecclesiae sententiam nostrâ in re rejecisse videntur (3). Idem de PAULO *Samosateno* affirmari posse videtur (4). Quid? quod non solum constitutum hoc tempore, sed et amplificatum videmus locum nostrum. Huc e. g. pertinet sententia, cujus vestigia saeculo II. jam deprehendimus nonnulla, *de Mariâ, Christi matre, semper virgine*. Hanc sententiam non tantum Evangelia Apocrypha saepius, impurissimâ ratione, propugnarunt (5), sed etiam ejus mentionem injecit CLE-

(1) In opere *de trinitate*, cap. 19. vid. MUNSCHER l. c.

(2) Vid. *Homilia ejus II. ad Cant. Cantt.* (Tom 3. Oper. pag. 19 D.)

(3) Vid. HASE, *Kirchengesch.* p. 112. LUDEWIG l. c. p. 25.

(4) Vid. GIESELER, *Kirchengesch.* I. p. 242. Contrarium contendit BAUMGARTEN - GRISIUS *Dogm. Gesch.* I. p. 207.

(5) Vid. e. g. *Proteuangel. JACOBI*, Cap. 20, apud THILONEM p. 250.

MENS *Alexandrinus*, qui (Stromat. VII. p. 545) narrat «καὶ γὰρ μετὰ τὸ τεκεῖν αὐτὴν, μαιωθεῖσεν φασὶ τινες «παροθένον ἐνργέναι.» Brevi ut dicamus, Christi e Mariâ virgine nativatem, hoc tempore, ita agnoscebant ad unum fere omnes, (quamvis rei rationem vel modesto praetereuntes, vel variâ ratione explicantes) ut haud temere statuamus, tempore concilii Nicaeni, rem omnium consensu fuisse stabilitam, atque fidei Catholicae indivulso nexu obstrictam. Temporis spatio igitur ad annum usque 325, quod periodum primam historiae nostrae vocare posses, rem nostram *acceptam, rejectam, defensam, constitutam, amplificatam videmus.*

§ 2.

Si de ratione quaeramus, quâ nostrum argumentum, *post concilium Nicaenum usque ad tempora orientis Scholasticismi*, fuerit tractatum, jam multum discriminis cernimus hanc inter et praecedentem periodum. Hucusque enim rem a parte Christianorum haud exiguâ rejectam atque negatam vidimus: nunc vero inquirentibus spectaculum se offert toto coelo a praecedente distans; nam ab hoc inde tempore placitum de Christi extraordinariâ nativitate ab *omnibus* fere agnitum, a nonnullis *exornatum*, ab aliis cum rebus gravissimis *conjunctum*, a paucis etiam misere *corruptum* videbimus. Quod, age! jam, datâ operâ, paulo fusius exponamus.

In animum revocantibus, quot lites atque haereses hac exstiterint periodo, primo obtuitu nobis fortasse mirum videbitur, nostram rem ab omnibus fere fuisse agnitam.

Neque tamen obscura manet res, accuratius spectata. Priore enim periodo ita procedit expositio dogmatis de Θεανθρώπῳ, ut una e Christi naturis ab haereticis negligatur: divina ab Ebionitis, humana a Gnosticis et Manichaeis, qui a materiâ maxime aversi, magis minusve ad Docetismum propensi erant: hac vero periodo, utramque Christi naturam dogmaticè constitutam, atque de ratione tantum, quâ inter se sint conjunctae, discrimen cernimus. (1) Agebatur de Christi divinâ naturâ, de ejus cum patre conjunctione, de τῷ ὁμοούσιον vel ὁμοιούσιον, de Mariâ Θεοτόκῃ an χριστοτόκῃ: nostram vero rem vel ponebant, vel, utpote humanam Christi naturam spectantem, missam faciebant. Unde ne ii quidem, qui ob pessimam haeresin Ecclesiae exosi erant, in crimen vocabantur, quod Christi e Mariâ virgine originem rejicerent. Apud ARIUM, MACEDONIUM, HILARIUM, NESTORIUM, nullum, quoad equidem scio, de nostro placito dubium: nisi forte APOΛΛΙΝΑΡΙΝ excipiendum censeas, cujus saltem discipuli, Συνουσίασται nuncupati, docuerunt, moriente EPIPHANIO (2) ἐκ τῶν οὐρανῶν κατεληλυθέναι τοῦ κυρίου τὸ σῶμα, ὁμοούσιον τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ τῇ Θεότητι. Haec de Ecclesiâ Orientis: in Occidente vero ita ad hominem relatas videmus lites Theologorum, ut a nostrâ quaestione tractandâ, animi alieni manserint. Quid? quod non tantum sententiam nostram ab omnibus receptam, sed et acriter defensam videmus. Ita e. g.

(1) Vid. HASE, *Hutterus Rediv.* p. 222 sq.

(2) Vid. EPIPHANIUS, *Haer.* 77 § 2. 20. quem laudat GIESELER, I p. 393.

CYRILLUS *Hierosolymitanus* hujus originis e virgine causam in eo quaesivit, ut, quemadmodum per virginem mors in mundum intraverat, ita e virgine vita prodiret: imo eum, qui ipse purissimus esset, et puritatis magister, ex puris prodire debuisset thalamis, diserte ille monet. Judaeos vero et Ethnicos, secus sentientes, ita refellit, ut illos ad clarissimum JESAIÆ effatum (VII: 14), hos ad ipsorum fabulas deleget (1). Sed haec quidem hactenus.

Exornatum porro nostrum dogma hac periodo cum dicimus, in mentem in primis nobis venit insana eorum curiositas, qui opinionem *de Mariâ semper virgine* omni operâ constituere, et absurdâ subinde ratione confirmare studuerunt. Cujus sententiae initia nonnulla in periodo praecedente jam indicavimus: hic vero paulo uberius sunt persequenda. Statim jam nobis occurrunt *Antidikomarianitae*, qui in Arabiâ degentes (367), in haereseos suspicionem inciderunt, quia statuebant, e Mariâ, Christo jam nato, deinceps alios etiam filios natos fuisse (2). Eandem sententiam in *Helvidianis* HIERONYMUS oppugnavit (3), qui et JOVINIANUM quemdam, Ascetam Romanum, reprehendit, statuentem, Mariam tanquam virginem *concepisse*, sed non *peperisse*, traditionemque

(1) Vid. ejus *Catechesis* XII (in tertium Symboli articulum *ἕως τὸ σαρκωθέντα καὶ ἐνανθρωπήσαντα*), de quâ uberius exposuit Doct. J. J. VAN VOLLENHOVEN, in Specimine de CYRILLI HIEROSOLYM. *Catechesibus*. Amst. 1837. pag. 72 et 120.

(2) Vid. EPIPHANIUS. I. c. *Haer.* 78, 79.

(3) Cf. HIERONYMI *adv. HELVIDIUM* (383.) *liber*, *Opera* ed. MARTIANAY, Tom. IV. p. 2. pag. 129. quem laudat GIESELER, Tom. I. p. 566.

Ecclesiasticam de Mariâ semper virgine doceticam habentem. (1) Ad hanc rem magis stabiliendam imprimis AMBROSIIUS multa contulit. Ipsum audiamus. (2) « Haec est « virgo, quae in utero concepit, virgo, quae peperit « filium. Sic enim scriptum est: *Ecce, virgo in utero « concipiet, et pariet filium* (JES. VII: 14): non enim « concepturam tantummodo virginem, sed et parituram « virginem dixit. Quae autem est illa porta sanctuarii, « porta illa exterior ad Orientem, quae manet clausa, « et nemo, inquit, *pertransibit per eam, nisi solus « Deus Israël* (EZECH. XLIV: 2)? Nonne haec porta « Mariae est, per quam in hunc mundum redemptor in- « travit, de qua scriptum est: *quia Dominus pertransibit « per eam, et erit clausa post partum, quia virgo con- « cepit et genuit.* » Alibi autem « nec fieri poterat » in- « quit, « ut quae Deum portaverat, portandum hominem « arbitraretur: nec JOSEPH, vir justus, in hanc proru- « pisset amentiam, ut matri Domini corporeo concubitu « misceretur. » (3) Idem ille rem adumbravit in carmine quodam Ecclesiastico :

« Fit porta Christi pervia
 « Referta plenâ gratiâ,
 « Transitque rex et permanet
 « Clausa, ut fuit per saecula. » (4)

(1) Vid. HIERONYMI *Apologeticus ad FANNACHIUM*. cf. BAUMGARTEN-
 CRUSIUS I. I. c. p. 288 sq.

(2) Cf. AMBROSII *Epistola 42* (alii 8, alii 7.) *ad SYRICIUM*, quem
 laudat GIESELER, *Kirchengesch.* I. p. 566.

(3) Vid. AMBROSIIUS, *de Institut. Virg.* Opera, Tom. II. p. 257.

(4) Vid. VAN HAMELSVELD, *Kerkel. Geschied.* XIV. p. 62.

Cui rationi assentit HIERONYMUS (1) qui « solus Chri-
 « stus, » inquit, « clausas portas vulvae virginalis aperuit,
 « quae tamen clausae jugiter permanserunt. Haec est por-
 « ta Orientalis clausa, per quam solus Pontifex ingredi-
 « tur et egreditur, et tamen semper clausa est. » Neque
 differt CYRILLUS *Hierosolymitanus*, qui Sospitorem e
 Mariâ natum esse contendit, *inviolato virginis antro*.

Sunt fortasse, qui mirentur, hoc potissimum aevo, studi-
 um invaluisse, Mariae perpetuam virginitatem celebrandi.
 Plures tamen hujus rei causae fuerunt. Victoriam repor-
 taverat Ecclesia de *Nestorianismo*; Maria tanquam *Θεο-
 τόκος* ubique salutabatur; hoc vero non poterat non inser-
 vire, ad hujus Deigenetricis honorem, omni, quâ fieri
 posset, ratione, augendam. Accedebat monachica aevi
 ratio, quae, Mariae perpetuâ propugnata virginitate,
 eximium inde depromere poterat argumentum, quo coe-
 libatum et perpetuam castitatem commendaret. Quo con-
 silio numerum quemdam sibi effingebant virginum imma-
 culatarum, earumdemque Deo consecratarum, quae in
 templo Hierosolymitano versatae essent, inter quas ipsa
 quoque Maria fuisset. (2) Quapropter mirum non videatur,
 HIERONYMUM et AMBROSIUM, (3) prae caeteris, sententiam,
 quam tractamus, propugnasse. Nec minorem vim habuit
 nimium illud dogmata definiendi studium, quo h. t. duce-
 bantur Theologi; quod et Conciliis et haeresibus alebatur,

(1) Vid. GIESELER, l. c. p. 567.

(2) Vid. AUGUSTINUS *de Virginitate*, cap. 4. et *Proteuangelium Jacobi*, cap. 7.

(3) Excipiendus tamen est BASILIUS *Magnus*, qui saniore excellebat
 sententiâ. Vid. Doct. A. H. BLOM, in *Diss. Theol. de ἀδελφοῦς Christi*
 L. B. 1839 p. 111.

ubi autem semel invaluit, raro terminos sibi ipsi constituit. Haec omnia eo tendere debebant, ut, quicumque Christi extraordinariam nativitatem non tantum agnoscere, sed et interpretari vellent, omni operâ Mariae immaculatam virginitatem, idque potissimum physicâ ratione, defenderent. Ex eodem fonte sententia fluxisse videtur de JOSEPHO, tempore nativitatis Christi, sene decrepito, et cum nulla unquam uxore matrimonio juncto. Quae tamen ne ita dicta a me putent lectores, ut cultum quemdam Mariae, proprie ita dictum, hic jam deprehendam, addendum mihi est, eodem hoc tempore, exstitisse sectam *Kollyridianorum*, qui Mariam, tanquam *Dei* matrem, religiose colebant, quos vero tanquam haereticos aperte damnat EPIPHANIUS (1).

Ubi autem historiam de Christi e Mariâ virgine ortu semel *dogmatis* loco habitam invenimus in universâ Ecclesiâ, non mirum est, id jam cum aliis placitis, iisque maximi momenti, conjungi. Quod factum esse prioribus etiam saeculis supra jam vidimus, id nunc magis etiam obtinuisse constat. In genere Patres hujus aetatis hanc Christi originem perquam honorificam habebant universo generi humano, et cum sublimi illius munere intime conjunctam. Ita e. g. pulcherrime ATHANASIUS « αὐτὸς ἐκ ἐνανθρώπησεν, ἵνα ἡμεῖς θεοποιηθῶμεν. » Et haud longe diversâ ratione HILARIUS *Pictaviensis* « humani generis causâ Dei filius natus e virgine est, ut homo, factus ex virgine, naturam in se carnis acciperet, perque hujus admixtionis societatem, sanctificatum in eo universi

(1) EPIPH. *de Haer.* 78, 79.

« generis humani corpus existeret. » (1) Tum vero nexum nostrae rei cum Christi indole sublimiore accuratius constituere conabantur : ut ita et vere humana et vere divina Christi intacta maneret natura. Mentem ita explicat AMBROSIIUS. (2) « Non enim alter, » inquit, « a patre, alter a « virgine, sed idem aliter a patre, aliter a virgine. Gene- « ratio generationi non praejudicat, nec caro Dietati. » Ut accuratius etiam hoc exponi posset, HILARIUS *Pictaviensis* rem ita distinxit, ut corporis Christi origo non ad Mariam, sed ad divinam ἐνέργειαν referatur, Maria vero ad corporis *incrementa*, vulgari ratione, ea, quae mulieres solent, contulerit. (3) Inprimis autem hoc tempore Jesu mirificam originem relatam videmus ad dogma *de peccato originis*. Nec aliter fieri poterat, quin AUGUSTINI placita eo inservirent, ut rei nostrae plus tribueretur. Ille enim, peccati originis acerrimus vindex, hoc inprimis urgebat, Jesum, hac unice ratione, a congenito illo vitio pravâque concupiscentiâ intaminatum manere potuisse. (4) Accuratissime ipse rem exposuit. « Non est anima Christi de traduce prae- « varicationis ADAE, nec LEVI, nec CHRISTUS in lumbis « ABRAHAMI secundum animam: secundum carnem vero « et CHRISTUS et LEVI (Hebr. VII: 14); sed LEVI secundum « concupiscentiam carnalem, CHRISTUS autem secundum « substantiam corporalem. Cum enim sit in semine et « visibilis corpulentia et invisibilis ratio, utrumque cu-

(1) Utrumque citat STRAUSS, *Leben Jesu*, Tom II. p. 729, Ed. 3ae.

(2) AMBROS. *De incarnat. Christi sacramento*, cap. 5.

(3) *De trinitate*, libro XV et XVI.

(4) AUGUST. *Contra JULIANUM* V. c. 15. §. 54. quem laudat MUNSCHER, *Dogm. Gesch.* IV. p. 271.

« CURRIT EX ABRAHAM, vel etiam ex ipso ADAM, usque ad
 « corpus Mariae, quia et ipsum eo modo conceptum et
 « exortum est. CHRISTUS autem visibilis carnis substan-
 « tiam de carne virginis sumpsit: ratio vero conceptionis
 « ejus non a semine virili.» (1) Immaculatam ipsius Mariae
 originem propriis quidem verbis non propugnat, quoad
 mihi saltem innotuit: ubi vero de generali generis hu-
 mani perversitate loquitur, Mariam excipiendam censet.
 « Exceptâ Sanctâ virgine,» inquit, «de quâ propter ho-
 « norem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur,
 « haberi volo quaestionem; unde enim scimus, quod ei
 « plus gratiae collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte
 « peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem con-
 « stat nullum habere peccatum.» (2) Caeterum in nostrâ
 re uberrimum laetitiae atque consolationis agnovit ille
 fontem, sic scribendo: « Dominus Jesus Christus, qui ve-
 « nerat ad homines liberandos, in quibus et mares et foe-
 « minae pertinent ad salutem, nec mares fastidivit, quia
 « marem suscepit, nec foeminas, quia de foeminâ natus
 « est. Huc accedit magnum sacramentum, ut, quoniam
 « per foeminam nobis mors acciderat, vita nobis per
 « foeminam nasceretur.» (3)

Quid? quod hac etiam periodo placitum nostrum a
 nonnullis misere *corruptum* inquinatumque cernimus.

(1) AUGUST. *de genes. ad lit.* X. 19.

(2) Vid. AUG. *de natura et gratia.* c. 36. cit. a MUNSCHERO l. l.
 IV. p. 272. Ut Mariae immunitatem a peccato originis vindicaret,
 rem ita sibi informavit GREGORIUS *Nazianzenus*, ut Jesus proponeretur:
κνηθεὶς ἐκ τῆς παρθένου, καὶ ψυχὴν καὶ σάρκα προκαθαρ-
θείσης τῷ πνεύματι Vid. ejus *Oratio* 42. Opp. Tom. I. p. 682.

(3) Vid. AUG. *de agone Christiano*, cap. 22.

Quo magis a pristinâ puritate et simplicitate deflecteret doctrina Christiana, eo magis etiam res nostra non potuit non profanis eorum manibus pollui, qui, studio omnia definiendi et explorandi abrepti, in absurda omnia proruerunt. Referre pudet, quâ ratione sanctissima res humanâ curiositate inquinata sit! Materialismus in origine peccati definiendâ eo processit, ut jam essent, qui putarent, a consuetâ viâ naturae Christi recessisse originem. AUGUSTINUM si audis « Virgo, » ait, « per aures « impraegnabatur! O conjunctio sine sordibus facta, « ubi maritus *sermo* est, et uxor *auricula*. » Imo memoratum invenimus Episcopum quemdam CYRUM, ita Parochianos alloquentem: « Fratres, alto silentio festum « natalium Jesu nobis est celebrandum: *ὅτι ἀκοῆ μόνον συνέληφθη ἐν τῇ ἀγία παρθένο. Ἐμμενονηλ οὕτως ἐκ μητρὸς προῦλθεν, ὡς δὲ ἀκοῆς εἰσῆλθεν.* (1)

Haud difficile foret, magnum addere auctorum Ecclesiasticorum numerum, qui de nostrâ re ita pronunciarunt, ut ad eandem vel confirmandam, vel defendendam, vel corrumpendam, symbolam contulerint suam. Quod autem et jejenum foret, et hujus disquisitionis consilio parum adaptatum. Non enim id agimus, ut opinionum de nostrâ re catalogum conscribamus, eodem saepius redeuntium, sed vero ut praecipuas rationes indicemus, quibus, pro variâ temporis hominumque conditione, de nostrâ re statuerit animus Christianorum. Dicta autem nullum dubium relinquunt, quin, hac etiam

(1) Utriusque effati fontes citat HENKE, *Magasin für Religions philosophie, Exeg. und Kirchengesch.* III. pag. 392 sqq.

periode, sententia nostra omnibus fuerit accepta, licet in modo rei definiendae a se invicem abierint multi. Quid? quod a permultis rem nostram tacite *poni* magis videmus, quam diserte *exponi*. Manifesto autem exinde patet, non opus fuisse, ut acriter rem tuerentur, de qua nemo esset, qui dubitaret. Laudatum autem corruptae doctrinae exemplum omnes a temeritate revocet, qui, illotis manibus, sacra aggredi cupiant, ne curiositas, in sanctum inquirens, insana imo sacrilega fiat, neve rem penitus explicari studentes, eam magis etiam implicent!

§ 3.

A JOHANNE DAMASCENO NOVUM disquisitionis stadium computantes, non ideo hoc facimus, quia hoc auctore, vel ab ejus inde tempore, magnam mutationem subiit sententiae nostrae tractandae ratio. Tale periodorum initium et distributionem nemo exigere potest in rei expositione, quae indole sua lente procedit, et opinionum commenta maxime continet. Aptum tamen duximus, sententias medii aevi de nostro argumento breviter exposituri, exordium ducere a viro, qui de Theologiâ tam egregie meruit, quique simul aetatem Scholasticorum haud injuriâ praeparasse dicitur.

IN DAMASCENI autem, Theologiae Dogmaticae conditoris, opere primario, ἔκθεσις τῆς ὁρθοδόξου πίστεως, liber tertius expositionem continet de Christi ἐνσαρκώσει. A viro, qui Mariae cultum, pro aevi ratione, propugnabat, certe non multum medicaminis corrupto nostro placito expectari potuit. Hac in re Eccle-

siae sententiam plane refert, quamvis in ejus opere et nova quaedam ratio nostram rem explicandi inveniatur, quam post eum Scholasticorum plurimi secuti sunt. Scilicet ita sibi conceptionem Christi proposuit, ut Sopitatoris corpus humanum uno tempore exstiterit. «Construxit sibi Christus,» DAMASCENO monente, «ex castis et purissimis sanguinibus, carnem animatam animâ rationali et intellectuali.» Quod ad Mariam vero «ἐπισκέλασεν ἐπ' αὐτὴν ἡ τοῦ Θεοῦ ἐνυποδάτος σοφία καὶ δύναμις, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, καὶ συνέπηξεν ἑαυτῷ . . . σάρκα ἐψυχωμένην . . . οὐ ταῖς κατὰ μικρὸν προσθήκαις ἀπαρτιζομένου τοῦ σπηματός, ἀλλ' ἐφ' ἐν τελειωθέντος.» (1)

Itaque hoc quoque tempore rem ab omnibus agnitam videmus. Neque *Adoptiani*, quos caeteroquin multum a Christi honore detrahere Ecclesia judicabat, nostram rem negasse videntur: credebant enim «in Dei filium, «factum ex muliere, factum sub lege, ad publicum «humani generis apparentem, invisibilem visibile corpus assumentem e virgine, ineffabiliter per integra «virginalia Matris enixum.» (2) Neque majore jure homines nonnulli *Aquitanenses*, quos Ecclesia haereticos habebat (1022), nostram rem impugnasse dicuntur. Quamvis iis imputetur, quod docuerint «Christum de «virgine Mariâ non esse natum, neque pro hominibus «passum» etc. tamen haecce accusatio omni firmo fun-

(1) Vid. ἔκθεσις τῆς ὀρθοδ. πίστ. III. 2. BASIL. 1548. fo. 176. Eandem sententiam jam aliquatenus propugnasse videtur BASILIUS, in *Homiliâ de generatione Christi humanâ.*

(2) Uberius hoc exposuit GIESELER K. G. II. A. p. 93.

damento destituta esse videtur. (1) Ita et de *Catharis* traditur, quod Jesum JOSEPHI fabri carnalem filium habuerint; de qua tamen re in tenebris, quibus hujus sectae indoles tegitur, incertum relinquitur judicium. (2) Quidquid est, ex eo ipso, quod his sectis, meliorem forte rationem sectantibus, hoc quoque tanquam scelestum nefas imputabatur, Jesu nimirum extraordinariam originem eos negasse, ex eo ipso, inquam, luce clarius patet, nostram rem hoc tempore ab omnibus fere pie fuisse agnitam.

Pie agnitam, dico; sed immerito. Non enim hoc saeculo tam modesti erant homines, ut in *re* acquiescerent, in *modum* vero nequaquam inquirerent, sed, eheu! etiam hac periodo decori sensum vere Christianum nostrâ in re haud magnopere excoluerunt. Testis nobis sit lis illa, quae inter PASCHASIIUM RADBERTUM et RATRAMNUM exstitit. (3) PASCHASIIUS RADBERTUS satis impudenter opusculum dedicavit: *venerabili matronae Christi, una cum Sacris virginibus, Vesona monastice degentibus*. In quo libello, perpetuam Mariae virginitatem propugnare studens, eo dementiae gradu processit, ut Jesum vulgari naturae viâ ex eâdem natum esse negaret. Quid autem absurdi nos miremur saeculo

(1) Vid. GIESELER l. c. p. 358. cf. SCHMIDT, *das Mysticismus des Mittelalters*, pag. 404.

(2) Vid. SCHMIDT l. c. p. 455.

(3) Vid. G. W. T. WALCHII, *Historia Controversiae saec. X. de partu Sacrae Virginis*, Progr. Götting. 1758 4°. Utriusque adversarii opusculum exstat in D'ACHERII *Specilegio* Tom. I. p. 44 et 52, quem laudat SCHMIDT l. c. p. 66.

IX, et in *Transsubstantiationis* patrono? RATRAMNUS, ejus adversarius, in libro: *De eo, quod Christus e virgine natus est*, ei concedebat quidem, Mariam *virginem fuisse ante partum, virginem in partu, et virginem mansisse post partum*, sed reliquam PASCHASII sententiam «serpentis antiqui novum venenum et fraudis «subtilitatem» dixit: quia, hac sententiâ receptâ nec vere natus est Christus, nec vere genuit Maria. Caeterum, lubentissime haec jam missa faciamus: potius aliquid intactum relinquentes, quam nullius decori et nullius in rem sanctissimam reverentiae reminiscentes. (1)

Vidimus jam, rem nostram *primum* fuisse admissam, tanquam historiae Christi particulam, *deinde* vero, saeculo secundo, eandem dogmatice constitutam vidimus, *postea* cum gravissimis religionis Christianae placitis conjunctam, *tandem* vero, mediâ vigente aetate, ipsa nostra res *fundamentum* constituit, cui superstruantur alia placita, quae jam invenit humana stultitia. Est autem haec fere, ut mihi videtur, hujus periodi, in nostro argumento, nota characteristica. Quaecumque enim in honorem Mariae *virginis* hoc tempore constituebantur, in coecâ fide, nostrae rei habitâ, fundamentum habebant. Fusius haec persequi non placet; ad litem inter *Franciscanos* atque

(1) Ipsorum duumvirorum effata describere piget. Nonnulla adsunt apud GIESELERUM. l. I. Tom II. P. I. p. 106. Huc quoque pertinet PASCHASII sententia de Maria puerperii doloribus non subjecta, et sine corporis vexatione pariente. Quid? quod ipsam legem naturae, e cujus vi sobolem procreant homines, legem *maledictionis* et *culpa*e nuncupet. «Si igitur,» inquit, «sub hac lege natus esset Christus, benedictio, quam in Mariam pronunciaverat legatus Divinus, efficacitate des- tituta fuisset.»

Dominicanos, de *immaculatâ* Mariae *conceptione*, provocasse sufficiat, quae satis hujus aetatis rationem redolet.

Scholastici medii aevi rem nostram admiserunt: imo eorum magna pars versabatur in Mariae immunitate a peccato originis exponendâ, vel defendendâ, quod plane abs re fuisset, nisi Jesum e virgine per Spiritum S. natum habuissent. Conjunxerunt itidem rem nostram cum placito de peccato originis (1), de *Ἐκκαθάρσις*, de Mariae coram Divino filio intercessione in gratiam fidelium. Antea jam Mariam in utero matris sanctificatam habuerant plures, quod tamen JEREMIAE quoque (I: 6) et Baptistae (LUC. I: 44) tribuebatur: nunc vero palam ejus absolutam puritatem defendebant; a quorum tamen stultitiâ nobis excipiendi sunt et alii, et in primis ANSELMUS *Cantuariensis*, qui diserte hanc rem negat: (2) «de massâ peccatrice,» inquit, «et humano genere, quod totum infectum est peccato, hominem sine peccato, quasi azymum de fermento Deus assumsit. Nam licet ipsa hominis ejusdem conceptio sit munda et

(1) Ita e. g. PETRUS LOMBARDUS «Mariam,» inquit, «totus Sp. S. in eam praeveniens, a peccato prorsus purgavit, et a fomite peccati liberavit, vel fomitem ipsum penitus evacuando, vel sic debilitando, ut ei postmodum peccandi occasio nullatenus exstitit.» Vid. L. III. Dist. 3 «de carne, quam Verbum assumsit.» (Ed. Lovaniensis 1552 pag. 273.)

(2) In libro «*Cur Deus homo*» II. 17. Attamen et cum Mariae summa quaeque tribuere, satis apparet ex ejus *Hymnis et Psalterio de Virgine*, Operum p. 303-306, cujus finis ita sese habet: «Virginitas illa, cui sunt sua salva sigilla, et foecunda tamen, det nobis dulce juvamen.»

« absque carnalis delectationis peccato, virgo tamen, « unde assumtus est, est in iniquitatibus concepta, et in « peccatis concepit eam mater ejus, et cum originali « peccato nata est, quia et ipsa in ADAMO peccavit, in « quo omnes peccarunt. » Vid. et ejus liber de *Conceptu virginali et origine peccati*. Oper. pag. 97. Haec tamen vox in deserto clamasse videtur. Varia saltem post fata, e quibus superstes remansit opinio de Mariae immaculatâ conceptione, a concilio Basileënsi, anno 1439, festum in hujus rei memoriam publice constituebatur. (1)

Mystici autem nostram rem acriter defendebant. BERNHARDUS *Claraevallensis* disertè Mariam summis extulit laudibus. BONAVENTURA multiplicibus ejus scriptis: *Speculum beatae Virginis Mariae: Corona Beatae V. M. Carmina super Canticum: salve Regina: Laus Beatae V. M.* aliisque, satis ostendit, quid de nostrâ re statuerit. (2) Hactenus tamen melius de ea meruerunt, quod omnia Christi fata non tantum ad hunc, sed etiam ad se referebant, eaque in ejus asseclis obtinere etiam debere contendebant. Hominem enim Christianum cum Christo concipi, nasci, pati et resurgere, illi in primis urgebant. (3) Quod tamen cum vulgo sub formâ maxime obscurâ docerent, non magnopere valuit ad placitum nostrum eo tempore purificandum.

Abunde igitur apparet, etiam hujus rei ratione habitâ, Reformationem maxime desideratam fuisse.

(1) Vid. GIESELER II. P. IV. p. 336.

(2) Vid. GIESELER II. P. II. p. 465.

(3) Vid. HASE, *Evang. Dogm.* Ed. 2a. p. 277.

§ 4.

Quam fere nostrae rei medicinam jam praeparaverant nonnulli meliora edocti, hanc ei uberius administravit *Sacrorum Instaurationio*. Jam *εἰδωλοκρατεία* Catholicismi removebatur: festa, quae quam plurima in Mariae honorem celebrabantur, una cum Sanctorum cultu abrogabantur: commentum de ejus immaculatâ conceptione corrui, et ad pristinam puritatem reducere rem nostram coeperunt Reformatores. *Coeperunt*, inquam. A Dogmatismi enim vinculis nondum adeo liberi erant, ut in Biblicâ nostrae rei expositione plane acquiescerent. Ita LUTHERO necessarium adhuc visum est, *ovulum quoddam* Mariae sibi fingere, quod Deus a peccato originis purificaverat, atque praeparaverat, ut, ab omni labe intactus, ex eo procederet Jesus. (1) Eidem forte causae est tribuendum, quod *perpetuam* adhuc Mariae virginitatem plerique Protestantes admittebant. Ita c. g.

(1) Vidd. ejus Opera, Tom II. p. 1718. Ed. WALCHII. Neque a Symbolicâ rei interpretatione abhorruit LUTHERUS, quod haec dicta probent: « Ein jeglicher Christ mag sich dieser Geburt Christi nicht weniger freuen, denn als wäre er auch, gleich wie Christus, leiblich von Maria geboren. Darum — siehe zu — das du aus dem Evangelio nicht allein Lust nimmst von der Historie an ihr selbst, denn die besteht nicht lange — sondern dasz du die Geburt dir zu eigen machst, und mit ihm wechsell — dasz du deiner Geburt wechsell, und seine überkommest. Welches geschieht, so du also glaubest, so sitzest du gewisslich der Jungfrauen Marien im Schoos, und bist ihr liebes Kind. » LUTHERI Opera, ed. WALCHII, Tom. XI. p. 171, 176. Cf. DORNER, *Entwicklungsgeschichte der Lehre von der Person Christi*, Stuttgart 1839. pag. 193.

in Conf. Helveticâ II. c. 11, statuitur: «Eundem credimus hominis factum esse filium, ex semine DAVIDIS, non ex viri coitu, quod Hebion dixit, sed conceptum purissime e Spiritu Sancto et natum e Maria «*semper virgine.*» Nisi enim *Exegeticis* magis quam *Dogmaticis* argumentis eos hanc opinionem superstruisse autumare velis, hoc placitum adhuc mihi referre videtur Ecclesiae Pontificiae sententiam. Id quod minime mirandum! Multa enim iis emendanda instabant, quae majoris momenti pretiique videbantur, quam quidem res, de qua agimus. Accedebat, quod Jesu e Maria origo cum aliis placitis tam arcte cohaerebat, quae primaria habebat Protestantismus, (e. g. cum doctrinâ AUGUSTINI de peccato originis et cum placito de Mariâ Θεοτόκῳ, ut imprudenter videri posset, Mariam plane in aliarum matrum consortio ponere.

Caeterum jam, emendatis Sacris, nostra quoque de nato Sospitatore confessio, a humanis sordibus purgata, in clariore, eademque puriore luce ponebatur. Constituebatur in *Confess. August.* Art. 10. «filius Dei assumpsit humanam naturam, in utero Mariae virginis, ut sint duae naturae, divina atque humana, in unitate personae inseparabiliter conjunctae, unus Christus verus Deus et verus homo.» Neque nostram praeterierunt quaestionem saeculi XVI et XVII Dogmatici, qui Ecclesiae Protestantium fidem accurate exposuerunt. Contra, rem accuratius etiam definire, et cum aliis placitis conjungere studuerunt. In Ecclesiâ Lutheranâ illa maxime cohaerebat cum *unitione personali duarum naturarum* in Christo. Haec enim *unitio* in conceptione

fiabat. «Concepit enim Maria non nudum aut merum
 «hominem, sed verum Dei filium concepit et genuit,
 «unde recte et Mater *Dei* appellatur et revera est.»
Incarnationem igitur describebant tanquam «actionem
 «divinam, qua filius Dei naturam humanam, nobis con-
 «substantialem, peccati vero expertem, propriâque sub-
 «sistentiâ destitutam, in utero matris, virginis Mariae, in
 «unitatem personae suae assumsit, eidemque tum hy-
 «postasin, tum naturam suam divinam communicavit,
 «ut jam perpetuo in duabus naturis, arctissime unitis,
 «subsistat *θεὸν ἑνώπιον*.» Quid? quod «is filius *Dei*
 «etiam in utero matris divinam suam majestatem de-
 «monstravit, quod de virgine, inviolatâ ipsius virgini-
 «tate, natus est.» Ad hanc naturarum unionem ex-
 primendam utebantur verbis: *ἐνανθρώπησις*, (inhumana-
 tio); *ἐνσάρκωσις*, (incarnatio); *ἐνώπιωσις*, (corporatio);
προσληψίς, (assumptio.) (1)

Extraordinariam conceptionem numerabant inter *pro-
 prietates praerogativas*, q. d., naturae Christi humanae,
 et Christum natum dicebant *e massâ seminali, e massâ
 sanguineâ virginis, e semine animato. Modum* hujus
 incarnationis ita describebant. «Causa efficiens productae
 «humanae Christi naturae Spiritus sanctus est, non ta-
 «men exclusis caeteris personis; est enim opus ad extra.
 «Ipsa vero impraegnatio Mariae, et in ea facta *pro-
 ductio* humanae Christi naturae describi potest: quod
 «sit actio supranaturalis, qua Spiritus sanctus massam

(1) Haec omnia uberius exposuit, atque e libris Dogmaticis deprom-
 sit HASE, in *Huttero Redivivo*, pag. 224 sq. Ed. 4a.

« sanguineam beatae virginis sanctificavit, et ad consuetum generationis locum delatam, disposuit atque elevavit, ut ex eâ fieret foetus perfectus humanus. « Scriptura Sacra vocat ἐπέλευσιν s. ἐπισκίασμα, LUC. « I: 35. ἐπέλευσις enim illa, sive actus superveniendi, « talis utique est, quo Spiritus S. alias, quoad infinitatem et immensitatem suam omnipraesens, hic in Maria « se esse praesentem, novo quodam et peculiari effectu » manifestavit. Et *obumbratio* ista creditur analogiam » habere ad eam actionem, qua Spiritus Sanctus in opere « creationis, incubans aquis et quasi fovens eas, efficax « fuit ad productionem creaturarum. An autem in uno « momento corpus Christi organicum plene efformatum, « et anima illi unita fuerit, non disputamus. » (1) In gradibus autem *exinanitionis* Christi, quorum numerum diversâ ratione computant, extraordinaria Christi conceptio primus numeratur. (2) Caeterum, hujus conceptionis consilium primarium referebant ad ejus a *peccato originis* immunitatem. (3) Quid? quod nonnulli definiendi studio ita indulserunt, ut locuti sint de *conservatione*, qua Deus illud Mariae ovulum, per omnes generationes omniaque tempora, a peccato originis immune servasset: vel etiam statuerint, Deum novum tale ovulum *creasse*, e quo Christus proveniret. Neque mi-

(1) Vid. HASE, *Hutt.* pag. 227.

(2) Vid. HASE, l. c. p. 259.

(3) Vid. *Catech. Palat.* quaest. 36. Aequali ratione medio aevo hoc exposuerat THOMAS AQUINAS (*Summa Th.* Parte III, qu. XXXII, Art. 1.) qui in Spiritu Sancto principium et amoris et gratiae et illius sanctitatis cernebat, quae in Christi ἐνσάρκωσει elucent.

randum, Protestantium Confessiones atque libros Dogmaticos rem difficillimam tam fuse atque copiose explorasse. Quum enim AUGUSTINI de peccato originis doctrina, a Reformatoribus eorumque successoribus acerrime vindicaretur, non poterant non diu haerere in re explicandâ, quae cum gravissimâ hac doctrinâ tot nominibus erat conjuncta. Accedebat Scholastica totius aevi atque doctrinae ratio, quae homines facile eo perducebat, ut omnia enucleate exponere cuperent. Ubi autem ratio humana semel imaginandi facultate se duci passa est, in re tam abstrusâ, decoris atque modestiae leges facile negliguntur. Utinam semper in memoriam retenuissent Theologi praeclarum illud MELANCHTONIS dictum: (1) « Hoc est Christum cognoscere, ejus beneficia cognoscere, non, quod isti docent (Scholastici), ejus naturas et modos incarnationis intueri. » (2)

Nec tamen, in re nostrâ describendâ et explicandâ, omnes consenserunt Protestantes. In eorum enim *familiis minoribus* nonnullae erant, quae, quamvis rei caput omnino admittentes, tamen ipsam rem aliâ ratione expo-

(1) Vidd. ejus *loci Theoll.* Ed. princ. Praefat. pag. 4.

(2) Nonnulla exempla laudare lubet Scholasticae, quâ nostram rem tractare solebant, rationis, quae etiam initio saec. XVIII vixit, ut exinde appareat, quantopere dogma nostrum pervestigarint homines. Ita scripsit FECHTIUS, *de massa, ex quâ CHRISTUS natus, praeservatâ.* Vitemb. 1716. (LUTHERI propugnat sententiam, quod ad ovulum illud.) Porro, *Renessii* exstat progr. « Num MARIA filium Dei pariens, obstetricis ope nacta fuerit? » et CARPZOVII disputatio « de stamine humanitatis CHRISTI » Francof. 1741. *Stamen humanitatis* ei est primum initium corporis CHRISTI, quod, divinâ vi, e MARIAE purificato ovulo sit productum. — Sed — rivos jam claudamus!

cebant. In quâ sententiarum farragine nonnulla sunt, quae uberiore disquisitione minime indigna videantur. Nos vero, pro instituti ratione, breviter tantum ea perlustremus. Quod ad *Schwenkfeldianos* attinet, eorum de nostra re doctrina perquam obscura videtur. SCHWENKFELDIUS hoc injustum censet, quod Christi corpus plurimi *creaturam* dicant. Creatura enim *e nihilo* est orta; Christi vero corpus humanum *e Spiritu S.* Unde Christus non tantum quod ad divinam, sed secundum utramque naturam, naturalis Dei filius vere habendus est. Humanum Christi corpus est e naturâ atque substantiâ divinâ. Quum tamen idem acriter defendat, corpus Christi e virgine Mariae originem duxisse, primo obtuitu videri possit, eum de duplici Christi corpore cogitasse, de *humano* nimirum, quod Mariae, et de *divino*, quod patri Coelesti debeatur. Rectius tamen sentire nobis videmur, si statuamus, SCHWENKFELDIUM unum idemque Christi corpus, a duabus partibus, contemplatum esse, cum ab *humanâ*, tum a *divinâ*; humanum autem illud corpus, ex ejus sententiâ, ad divinum magis accedebat, si ex purâ atque intactâ virgine natum esset. Scilicet *communicatio idiomatum* ei non sufficiebat: *substantialem* igitur atque *realem* naturarum in Christo conjunctionem constituere conabatur. Sic SCHWENKFELDIUS totam *de Christi carne* doctrinam non poterat non in primariis systematis placitis ponere. Quid? quod ad normam corporis Christi e Spiritu nati, aliquando corpora nostra a Deo instauratum iri, sperabat ille! (1)

(1) Uberius hoc exposuit DORNER, *Entwicklung der Lehre von der Person Christi*, pag. 204 - 214, quem presse secuti sumus. Monet

Neque majore perspicuitate se nobis commendat famosi M. SERVETI de Christi origine opinio. Hic enim, teste CALVINO (Inst. II. c. 14 sect. 5.), negabat, Christum aliâ ratione Dei filium esse, nisi quatenus in utero virginis genitus est e Spiritu S. Pantheistica enim elementa in suam doctrinam recepisse videtur, et, hoc nomine, Christi *car-nem humanam* dixit *Deo consubstantialem*. Hujus igitur carnis originem *mirificam* habuisse videtur, et eâdem cum *λόγῳ* Divino substantiâ existentem: unde « Verbum « Dei instar nubis, » inquit, « obumbravit virgini. Egit « in ea, ut ros, geniturae instar imbris, terram germi- « nare facientis. » (1)

Anabaptistae et *antiquiores Mennonitae*, omne peccati originis vestigium a Christi corpore humano averruncare studentes, ita sibi ejus originem effinxerunt, ut illud a Spiritu Sancto non generatum, sed immediate *procreatum* dicerent. (2) *Quakeri* autem sententiam de duplici Christi corpore ita explicuisse videntur, ut nulli antea. *Carnale* Christi corpus Mariae virgini tribuebant, *Spirituale* jam ante natales eum habuisse dicebant, quo et tunc ille Deum hominibus revelare posset, et nunc fideles fruantur, corpus ejus edentes, sanguinemque bibentes. *Illud* externum tantum templum erat, in quo et vitam degit et passus est: *hoc* vero e coelo descenderat,

hic pag. 203, cum indicatâ SCHWENKELDI doctrinâ multis nominibus SWEDENBORGH rei exponendae rationem convenire, utrisque autem obscuritatem quamdam, in distinguendo Christi humano atque coelesti corpore, communem fuisse.

(1) *De Trinit.* I. 9. Vid. DORNER l. c. p. 215.

(2) Vid. *Form. Conc.* pag. 123, et *Conf. Belg.* Art. 13.

mandoque vitam largitur. Sententiam probare studebant e JOH. VI: 42. 1 Cor. X: 3, 4. aliisque locis. (1) *Sociniani* autem nostram rem omnino admiserunt. Nec mirum. Omnia enim, quae humanam Christi naturam spectabant, exponere, ut par erat, studuerunt, atque omni suâ sublimitate laudare, ut sic magis sibi aliisque explicarent, quaecumque in N. T. libris extraordinaria atque divina de Christo affirmantur. Statuerunt igitur: « Conceptus est e Spiritu S. et virgine, sine ullo congressu viri natus; nullum adeo patrem hactenus, nisi « Deum habuit. (2)

Quemadmodum autem, mediâ vigente aetate, Scholasticis oppositos Mysticos vidimus, ita et nunc, re nostra Scholasticis definitionibus fere submersâ, Mystici inter Protestantes non defuerunt, qui non adeo Christum *extra nos*, quam quidem *in nobis* salutis fontem habebant atque auctorem. Nostram rem mystice illi accipiebant, et ad hominem internum referebant. J. ARNDTIUM si audis « Prouti Christus, » inquit, « vi Spiritus S. fide « in Maria virgine natus est, ita et in me, ratione Spi- « rituali, concipi et nasci, increscere et augere debet. » (3) Nec aliâ ratione, quicumque h. t. studiis *Theosophicis* indulgebant, de re nostrâ pronunciarunt, ejus indolem historicam saepius negligentius tractantes. Ita THEOPHRASTUS ille PARACELsus per Spiritum Sanctum Christi incarnationem obtinere statuit in omnibus cre-

(1) Vid. WINER, *Comparative Darstellung* etc. pag. 71.

(2) Vid. *Catech. Racoviensis* p. 45.

(3) Vid. Ejus opus, *das wahre Christenthum*, Tom. I. p. 48.

dentibus. (1) Animadvertendum autem, doctrinam de duplici Christi corpore apud hujus generis homines maxime invaluisse. Ita WEIGELII asseclae a Maria, Christi matre temporali, aliam quamdam Christi distinguunt genetricem, quam *coelestem* HEVAM vocant. Huic quoque corpus humanum acceptum retulit Christus, vi Spiritûs S. Hoc vero corpus invisibile atque immortale erat, quapropter, ut inter nos vivere morique posset Christus, corpus assumpsit visibile e matre temporali, Maria virgine. Id autem Christi corpus quod revera nobis prodest, non humanum est, sed divinum. ΒΘΗΜΗ tandem Theosophia corpus Christi tanti fecit, ut ex *elemento quodam Sancto* ejus originem repetierit, atque terrestris Christi matris partum tribuerit coelestis cujusdam virginis *ἐνεργεία*, quam experta esset Maria. (2)

Cum Protestantium familiae hujusmodi diversas sententias proferebant, Pontificiorum, quam antea jam de nostro argumento protulerant sententiam, eadem fere mansit. In Concilio autem Tridentino rixae de immaculatâ ipsius Mariae conceptione non diremtae sunt: caetera vero, quae nostram sententiam spectabant placita, publice constituebantur. (3) *Jansenistae* non poterant non doctrinam

(1) Vid. DORNER, l. c. p. 226. Huic sententiae assentire videtur WEIGELIUS, qui nobis etiam, corpore coelesti et Sp. S. post Adami lapsum privatis, novum Corpus necessarium esse contendit: quod ut nobis impertiret Christus, ipse tali ratione natus est. Neque *παλιγγενεσίαν* ad *animi renovationem* retulit, sed ad ejus *in novo corpore instaurationem*. Vid. DORNER, l. c. p. p 229.

(2) Vid. DORNER, l. c. p. 140.

(3) « Sed quemadmodum ipsa conceptio naturae ordinem prorsus

magni facere, quae ab AUGUSTINI, quam propugnabant, doctrinâ fere sejungi non poterat. *Jesuitae* autem, odio erga Dominicanos ducti, immaculatam Mariae conceptionem acerrime propugnarunt: ipsius autem Christi extraordinariam nativitatem, quoad mihi quidem innotuit, horum nullus negavit.

§ 5.

Impugnata tandem a Protestantibus etiam doctrina est de Jesu e Maria virgine ortu. Quod jam nobis est exponendum. *Ultimae* autem hujus periodi initium haud temere facimus, commemorandis Anglorum *Deistis*. (1648.) Hi enim initio quidem Patefactionis Divinae, quae in Sacris Libris continetur, vel veritatem, vel necessitatem, vel auctoritatem in genere impugnarunt, peculiarem placiti nostri rationem non habentes. At vel sic tamen ei favere non poterant, quippe nulla miracula fere admittentes. Neque tamen defuerunt, qui nostram rem diserte negarint, imo irriserint: ELLWALSII, MORGANI, WOOLSTONII, CHUBSII nomina hic recitasse suf-

« vincit (ita *Catech. Rom.* P. I. C. IV. qu. 8.), ita in ortu nihil non divi-
 « num licet contemplari. Praeterea, quo nihil admirabilius dici omnino
 « aut cogitari potest, nascitur ex matre sine ullâ maternae virginitatis
 « diminutione: et quo modo postea ex sepulcro clauso et obsignato egres-
 « sus est, atque ad discipulos *clausis januis* intravit, Joh. XX: 19. simili,
 « inquam, et altiore modo Jesus Christus ex materno alvo, sine ullo
 « matris detrimento, editus est. *Evae* dictum est: in dolore filios paries:
 « Maria hac lege soluta est, ut quae, salvâ virginalis pudicitiae integri-
 « tate, sine ullo doloris sensu, Jesum peperit.» Cf. et loca, quae laudat
 WINER, *Comp. Darst.* pag. 57.

ficiat. (1) Variis argumentis utebantur: *vel* obscura, quae in Jesu duplici genealogiâ occurrunt, urgentes, *vel* rei absurditatem proponentes, *vel* ad Judaeorum contrariam opinionem provocantes, hos scilicet acerrimos Christi hostes meliora edoctos habentes, quam Librorum N. T. auctores! Neque defuerunt, qui testium, nostram rem confirmantium, majorem numerum desiderarent, aut cum ethnicorum fabulis eam compararent, aut, quod postea videbimus, nostrarum narrationum authenticam in dubitationem adducerent. Ad quos excitandos atque confirmandos in primis vim habuisse videtur *cum* philosophia *Lockiana*, tum tota Anglorum, hoc tempore, philosophandi ratio. BACO enim atque NEWTONUS physicam disciplinam tradebant maxime, Metaphysicam negligebant; quae ratio, quamvis illorum gentis indoli maxime accommodata, facile ad Empyrium, ad Scepticismum, quin ad Materialismum ducit. Quid? quod per hos gradus descendisse post LOCKIUM philosophiam, ejus historia docet. Quod tamen non in hujus summi viri vituperium dictum esse velim. Ille enim ipse Religionem Christianam defendit, ejusdemque cum sanae mentis enunciatis exposuit convenientiam: verumtamen ejus philosophandi rationem erroris atque ἀπιστίας semina continuisse, negare non auserim.

(1) Auctorum, magnâ ex parte jam oblivioni datorum, *Opera* fusius indicavit et saepius acute refutavit LILIENTHAL, *Oordeelkundige Bijbelverkl.* Tom VII. p. 93, 94 et Tom X. p. 92 – 105. Huc quoque pertinet opusculum, ab ipso laudatum: *Lucina sine concubitu*, a HILLIO ut videtur, conscriptum, in quo *Satyræ* telis nostram rem vexat auctor. (Lond. 1750.)

Neque melius nostram rem demeruerunt Franco-Galli. Illi enim, CONDILLACIO aliisque ducibus usi, ab Empyris-
mo ad Scepticismum et Materialismum se convertebant; paulo vero post hostiliter *cum* omnia miracula, *tum* etiam nostram rem aggrediebantur. Quid? quod VOLTA-
RIUS librum, jam a nobis laudatum, תולדות ישו, tanquam gravissimum fontem haberet, e quo fatorum Christi notitiam haureamus! (1)

Ad *Germaniam* redeunte disquisitione, summâ jam tenemur admiratione, videntes, quantopere ab Ortho-
doxâ Ecclesiae Lutheranae fide discesserint multi, no-
stram rem primum in dubitationem adducentes, mox vero acriter negantes. Philosophia, quae saeculo XVII et XVIII invaluerat, primum quidem mysteria religionis Christianae defendendi munus suscepit, deinde vero ea ad sanae mentis effata construere conata est, tandem ipsa ea est aggressâ. In Ecclesiâ *Reformatâ* COCCEJUS, *Cartesianae* philosophiae patronus, exstitit, qui, hujus scholae principiis addictus, nostram rem diserte affirma-
vit. (2) SPINOZAE verò philosophia non poterat non ean-
dem rejicere; erat enim hoc systema *cum* a Religione Christianâ perquam alienum, *tum* ita Pantheisticum, ut in eo purae personalitati humanae, cui se conjungat, ab hac diversa, natura divina, nullus locus relinqui videretur. Unde ipse SPINOZA ita de Christi humanâ naturâ

(1) Vid. THOLUCK, *Vermischte Schriften* II, p. 34.

(2) Cf. COCCEJ Opera Tom VII. in *Aphorismis brevioribus per universam Theol. disp.* XVII. § 40. « e virgine nasci debebat, ne sub male-
« dictione esset — ex substantiâ virginis, ut esset de semine ejus, οὐ ἐπελάμβανε.»

pronuntiavit: « Quod quaedam Ecclesiae statuunt, » in-
 « quit, » quod Deus humanam naturam assumeret, monui
 « expresse, me quod dicunt nescire, imo, ut verum fatear,
 « non minus absurde mihi videntur loqui, quam si quis
 « mihi diceret, quod circulus naturam quadrati indue-
 « rit. Dico ad salutem non omnino esse necesse, Chri-
 « stum secundum carnem noscere: sed de aeterno illo
 » Dei filio, h. e. aeternâ Dei sapientiâ, quae sese in
 « omnibus rebus, et maxime in mente humanâ, et om-
 » nium maxime in Jesu Christo manifestavit, longe ali-
 « ter sentiendum. Nemo enim absque hoc ad statum
 « beatitudinis potest pervenire, utpote quae sola docet,
 « quid verum et falsum, bonum et malum sit. » (1) En
 tibi, ni fallor, Christologiae Symbolicae recentissimae
 aetatis initia prima. Philosophia autem LEIBNITZIO-WOL-
 FIANA, si ad ejus indolem atque argumentum attendas,
 nullum quidem detrimentum nostrae quaestioni intulit:
 formâ autem suâ logicâ atque demonstrativâ, ejus im-
 pugnationem aliquatenus fortasse praeparavit. (2)

Huic igitur philosophiae efficacitati sese mox adjun-
 xit auctoritas FREDERICI II, Borussiae regis, qui religioni
 Christianae minime favisse videtur: adjunxerunt se item
 exemplum Deistarum atque Materialistarum, aliaeque
 opportunitates. Brevi ut dicamus, in Germaniâ *Natu-
 ralismus* existit, qui et totam sacram doctrinam, et
 fidei illud caput, quod tractamus, penitus evertere cona-

(1) Vid. STRAUSS, II. p. 734 et 753 qui loca affert.

(2) Vid. THOLUCK, *Vermischte Schriften* II. p. 10 - 23; quae ibi de
 vi hujus philosophiae in universam Theologiam disputantur, ad no-
 stram quoque quaestionem referri posse videntur.

tus est. Schola *Ernestina* Exegetica quidem rem nostram datâ operâ vindicabat (1), *Semleriana* vero Schola historica Scepticismi semina longe lateque dispersit. (2) *Neologi* praecedentis aevi non poterant non nostram rem acriter persequi. Eam negabant, contorquebant, irridebant adeo. Nominum librorumve amplum Catalogum conscribere, nil attinet: quaecumque etiam nunc in eorum operibus explicatione aut refutatione digna censeamus, infra fusius tractabimus. Unum e pluribus eligentes, EDELMANNUM memoramus (3), qui nostro placito omne fundamentum historicum abjudicavit, totum illud e praecipue opinionibus Dogmaticis profluxisse contendit, quin fabulis de Apide Aegyptiorum ejusdemque origine idem illud aequiparat. Quid? quod famosus ille BARDTIUS Mariam turpiter fuisse deceptam, atque extra matrimonium Christum concepisse, haud obscure significavit. (4) Ne de fragmentis *Wolfenbütteleianis*, de auctore anonymo libri, *naturalem vitae Jesu enarrationem* continentis, aliisque dicamus. (5)

Neque KANTII doctrina, quamvis permultas inanes cavillationes profligaret, magnopere inserviit ad Jesu extraordinariam nativitatem stabiliendam et confirmandam. Scilicet concedebat quidem summus illi vir, rem nostram

(1) Vid. ERNESTI, *de veritate et dignitate incarnationis Christi*. (Opuscc. Theoll. p. 394.)

(2) Vid. THOLUCK, l. c. p. 39-83. DÖRNER, l. c. p. 253 sqq.

(3) Vid. JOH. CHR. EDELMAN'S *Abgenöthigter Glaubensbek.* 1764. p. 93, 98. sq.

(4) Vid. ejus opus *Briefe in den Volkston*. Ep. 8 et 11.

(5) *Natürliche Gesch. Jesu van Nazareth, Bethlehem* 1800, p. 129.

cogitari posse (1) nec tamen ei multum tribuit, quippe
 cujus momentum non perspexerit. Quamvis enim non
 absurdum duceret, ἀναμάρτητον aliquem inter homines
 apparuisse, nequaquam necessarium esse contendit, ut
 extraordinariâ hunc ratione natum nobis proponamus.
 Quid? quod idem hoc, KANTIO auctore, ab ejus perfec-
 tione morali multum abstrahat, atque exempli utilitatem
 tollat; qui enim virtutem non luctando et certando sen-
 sim adipiscatur, sed eam innatam habeat, neque prae-
 stantissimus dici, neque exemplo nobis proponi possit. (2)
 Memoratam autem KANTII sententiam nemo mirabitur,
 qui, quid philosophus ille de patefactionis divinae ne-
 cessitate, de malo radicali q. d., de personae Christi
 significatione ideali, statuerit, in animum revocet. Neque
 mirum, hanc philosophiam *Rationalistas* tantopere ex-
 citasse, qui et plurima alia, et etiam nostram rem acriter
 impugnarent: e quibus WEGSCHEIDERI et PAULI, VV.
 CC, postea nobis de industriâ audiendorum, nomina tan-
 tummodo recitamus. (3)

Post KANTIUM ad subjectivum Idealismum philosophiam
 retulit FICHTIUS, ad sensum JACOBUS. Nec mirum igitur,
 jam *idealisticam quamdam Christologiam* inva-
 luisse, quae non poterat non nostrae rei tractandae

(1) Cf. KANT, *Rel. innerhalb etc.* ubi: «Auch die Absolutphiloso-
 phie,» inquit, «kann diese Geburt Gottes, oder des Gottmenschen,
 aus einer Jungfrau, sich recht gut denken.»

(2) Uberius atque egregie hoc exposuit DORNER, l. c. p. 258-270.
 deinde vero ostendens, KANTII Christologiam neque sibi ipsi consen-
 tire, neque Rel. Chr. argumento praecipuo convenire.

(3) Vid. PAULUS, in *Comment. ad IV. EVV. WEGSCHEIDER, Institt.*
Theol. Dogm. §. 123, 124.

rationem prorsus immutare. Si hujus Christologiae patronos audias, quaecumque in S. C. de Christo narrantur Symbolicam potissimum vim habent; *formas* atque *involucra* continent aeternarum idearum, ac tantummodo, quatenus has contineant, aliquid valent. Involucra autem haecce propter humanam imbecillitatem sunt necessaria, sed per se neque vera, neque ad sanae mentis praecepta anxie exigenda. Ita in historiâ conceptionis Christi mirificae cernitur, docente DE WETTE, involucrum *ideae de divino religionis Christianae ortu*. Narrationes igitur, per se spectatae, accuratiori Crisi subjiciendae sunt; quantopere autem Criticum hunc cultrum adhibuerit idem ille DE WETTE, satis notum est: *ideae* vero, quae his continetur narrationibus, jure summum pretium tribuit. (1) Ita et HORSTIUS historiam nostram rejecit quidem, quippe sanae mentis legibus repugnantem; ideam vero retinuit, imo historiam idealem totius generis humani in nostrâ narratione inesse statuit. (2) Neque incommode hîc HASIUM quoque memoramus, virum jure celeberrimum: qui, sensui *aesthetico* prae caeteris indulgens, nostras narrationes maximi facit, imo Lyricam poesin spirantes eas dixit: *Critico* vero acumini morem gerens, ob argumenta interna, omnem fidem historicam iis denegat: simul vero *ideam*, quam in iis animad-

(1) Vid. DE WETTE, quod ad *ideam* in opere *Bibl. Dogmat.* § 231. *Dogmat. der Ev. Kirche* § 66; quod ad *formam* historicam, *Exeg. H. B.* I. 1, ad MATH. I: 18-25. ubi his narrationibus auctoritatem nullam tribuit, quia non pertinent ad traditionem Apostolicam, quae, eo auctore, fontem constituit Synopticorum Euangeliorum.

(2) Vid. STRAUSS, *Leben Jesu* II. p. 753 sq.

vertimus, jure doctrinae Christianae primariam habet: hanc nimirum, quod Jesus ab initio inde *perfectae* humanae naturae dotibus instructus fuerit. (1) Sed haec jam de hac ratione sufficient. (2)

De SCHLEIERMACHERO si quaeramus, qui sensus patronis in Religione jure accensetur, respondendum, illum nostram rem non magni fecisse, imo proprie non admisisse (3). Illi enim tali mirificâ conceptione Christi non opus fuisse videtur, ad *perfectam* ejus *Dei conscientiam*, in qua summa Christi praestantia cerneretur, vel excitandam, vel efficiendam. Contra, tale miraculum, SCHLEIERMACHERO auctore, consilio, ad quod vulgo refertur, Divino nequaquam respondisset, quia Maria, Christi mater, malo haereditario infecta maneret. Ei igitur sufficit statuere, Deum omne damnum morale, quod e Christi origine humanâ provenire postuisset, ad perfectam ejus Dei conscientiam obscurandam, averrunctasse. Brevi, nostra res ad praecipuum argumentum Religionis Christianae pertinere ei non videtur, sed a nobis admittenda tantummodo, quia in Sacris Libris occurrit. Talia autem crisi historicae subjici possunt, imo debent:

(1) Vid. HASE, *Leben Jesu*, § 32. et *Evangelische Dogmatik*, pag. 287. Edit. 2.

(2) Cf. de his DORNER I. I. qui animadvertit, talem mentis atque sensus sejunctionem plane esse arbitrariam, et Christologiam mere *idealem* ad Anthropologiam potius ablegandam esse.

(3) Vid. SCHLEIERMACHERI *Glaubenslehre*, Tom II. § 96-98. Antea jam *Religiosismi* patroni ostenderant, se nostram rem non magni facere: vid. Diatribe de argumento, quod tractamus, in KLEINE et SCHRÖTERI *Oppositionsschrift*, Tom IV. p. 409.

quam crisin, quomodo instituerit vir celeberrimus, Aesthetico sensui prae caeteris indulgens, aliunde novimus (1).

Symbolicam autem explanationem cum totius Christologiae, tum nostrae caussae, nemo magis propugnavit, quam *philosophiae absolutae identitatis* conditor, SCHELLINGIUS. Quaecumque, inquit, de Christi personâ historice constant, et ad Dei ἐνσαρκώσῃ in ipso Sospitatore pertinent, sunt rejicienda. Dei enim actionem quamdam *temporalem* innuunt: quae, quum Deum omni tempore superiorem esse sciamus, cogitari nequit. Divina natura humanam non assumpsit uno temporis puncto, sed ab omni aeternitate. Universum enim genus humanum jure *Dei filium aeternum* nuncupamus: imo *omnibus finitis* hoc nomen tribuendum est, utpote quae ex sui ipsius intuitione producit sibi que praesentat Deus. Idea igitur hujus ἐνσαρκώσεως divinae, eo auctore, utpote aeterna atque absolute necessaria, summam continet totius Religionis Christianae, summum etiam totius philosophiae principium, adeoque inter utramque veram constituit conjunctionem. Idea haec jam ante Religionem Christianam aderat, quippe Summi Numinis aeternam atque necessariam se manifestandi rationem continens, in Christo vero ad ἀκμὴν pervenit, plenoque suo ambitu cernitur; ita tamen, ut ab eo in infinitum procedat divina in toto humano genere *in-humanatio*. (2) Formas autem et involucra hujus ideae in

(1) Vid. SCHLEIERMACHERI opus de LUCA, p. 41. ad quod deinceps nobis recurrendi erit opportunitas.

(2) Sit venia huic aliisque vocibus barbaris. Nam, quod ipse CICERO ait, novis rebus nova verba facienda sunt.

Christi historiâ nullius esse pretii statuit, nullumque iis inesse sensum, nisi Symbolicum, contendit. (1)

Quod tandem (2) ad HEGELII disciplinam attinet, ea quoque ad nostram rem vindicandam minime valuit. Contra, quum Dei *inhumanationem* generalem proponat, necessariam illam atque aeternam, haec cum Christologiâ, pp. sic dictâ, nil commune habere videtur. Ita et nostro de Christo placito in hoc systemate nullus relinqui locus videtur. (3) Caeterum si eum audias, qui scholae Hegelianae discipulum se profitetur, STRAUSSII dico, jam apparet, quid haec schola de nostrâ re statuât, imo statuere debeat. (4) Si enim ab eo quaeras, quid in Christologiâ speculativâ significet extraordinaria Jesu e Mariâ virgine conceptio, nos invitât STRAUSSII, ut historiae campum plane deseramus, et ad ideas philosophicas nos convertamus. Ex eo (5), inquit, quod Deum tanquam spiritum perfectissimum nobis fingamus, et homini itidem spiritum adscribamus, jam sequitur, Deum hominesque a se invicem, quod ad naturam attinet, haud esse diversos. *Verum* igitur *Esse*, neque in Deo, naturâ infinitâ, neque in homine, naturâ finitâ, se junctim cernitur, sed

(1) Vid. SCHELLING, *Vorlesungen über das Wesen des Acad. Stud.* p. 184 - 192. DORNER, l. l. p. 340 - 366. HASE, *Evang. Dogm.* p. 284.

(2) Non enim omnia recentioris philosophiae atque Dogmatices opera persequi possumus; praecipuas *rationes* indicasse sufficiat, quibus rem nostram viri docti excoluerunt.

(3) Vid. DORNER l. l. p. 420 sqq.

(4) Apparet, quaestionem, utrum haec STRAUSSII sententia sponte suâ ex Hegelianae philosophiae principiis sequatur, an vero minus, et hic non pertinere, et juveniles vires plane superare.

(5) Vid. STRAUSS, *L. J.* Ed. 3a. Tom II. §. 149.

verò in finiti atque infiniti conjunctione, i. e. in *ἑκείνῳ*. Haec vero infiniti atque finiti conjunctio nequaquam in uno homine absolvitur, quamvis praestantissimo, sed *in totâ naturâ humanâ*. Ut breviter dicam, idea hujus conjunctionis, quae simul idea est summae perfectionis, nequaquam in historiâ unius individui ad realitatem pervenit, sed vero in historiâ humanitatis integrâ. Subjectum Christologiae jam non amplius ipse est Christus, sed universum genus humanum. De hoc reapse valent, quae, in Christi personae historiâ, Mythum tantum referunt: illud genus humanum e matre visibili nascitur, ac pariter e patre invisibili, e Spiritu nempe atque ex rerum naturâ; in Christi vero nativitate, Symbolicâ ratione, nobis ostenditur, quomodo ad finitum infinitum descendat (1). Hujus autem sententiae Epicrisin aequus lector a nobis non expectabit. Probe tamen mihi multi animadvertisse videntur (2), et alia in tali disciplinâ desiderari, et in primis eam ad *Pantheismum* accedere. Quo magis nobis, Deum personalem, a mundo vere diversum, colentibus, haec persuasio firmiter tenenda esse videtur, «ideam religiosam, involucro historico

(1) Primo obtuitu videri posset, quamvis haec omnia vera sint, tamen in HEGELII philosophiâ, locum quemdam remanere personae cui-dam, quae hanc divinam atque humanam naturam in se conjunctam nobis ostendat, qualem nos in Christo veneramus: absurdum tamen hoc esse e principiis hujus philosophiae, probasse videtur BORNER, .I. p. 421 - 424.

(2) Vid. ULLMANN, *Historisch od. Mythisch?* p. 82-86. KERN, *Haupt-sachen des Leben Jesu*. (Tüb. Zeitschr. 1836. p. 1 - 36.)

destitutam, vanam esse atque inanem.» Quid? quod in Christi personâ, ideam summæ perfectionis, formâ simul humanâ atque historicâ indutam, pie veneramur. (1)

In hoc tamen Philosophorum atque Theologorum dissensu, non defuerunt alii, qui nostram rem defendere ac tueri studerent. *Rationalismo* se opposuit *Supranaturalismus*, qui, TITTMANNO, DOEDERLEINIO, KNAPPPIO, aliisque patronis, egregie ad nostram sententiam confirmandam valuit. (2) *Historicum* autem placiti fundamentum strenue vindicarunt NEANDERUS, ULLMANNUS, OSIANDER, alii. Neque negligendum, nullas objectiones Theologorum et Philosophorum id efficere potuisse, ut ex confessione atque fide omnium fere Christi cultorum hicce evanesceret articulus: «Conceptus e Spiritu Sancto, « e virgine Mariâ natus.»

Cursum confectum si jam uno obtutu remetiamur, sententiam de Sospitatore, e Mariâ virgine nato, post multifariam impugnationem atque corruptionem, superstitem videmus: eandemque a populo Christiano omni

(1) Neque in nostrâ re a STRAUSSIO longe recessit recentissimus *Vitæ Christi* scriptor WEISSE, qui catenus saltem Speculativæ Christologiæ principiis nititur, quod notionis Dei evolutionem in naturâ finitâ non casui aut arbitrio, sed æternæ necessitati tribuat: et « eben « deshalb, » inquit, « dass diese Erscheinung nicht eine plötzliche, aber « eine allmähliche ist, ist und bleibt es auch unstandhaft, ja dem wahren Begriffe der Menschwerdung Gottes durchaus widersprechend, « die Erscheinung des in diesem Sinne Menschgewordenen Gottes auf « eine, in gemeinen Wortsinn, übernatürliche, miraculöse Weise — « erfolgt zu denken.» Vid. ejus *Vita Jesu*. Tom II. p. 512.

(2) Vid. e. g. KNAPP *Chr. Glaubensl.* Tom II. p. 148.

fere tempore admissam: a Judaeo-Christianis, a Docetis, a Judaeis atque Ethnicis rejectam: a Scholasticis atque Dogmaticis expositam: a philosophis vero, pro diversâ uniuscujusque ratione, propugnatam vel impugnatam cernimus. Hodiernum vero quaestionis statum si reputemus, satis jam apparet, *cum* hunc arcte cohaerere cum temporis anterioris erroribus, quos jam exposuimus, *tum* accuratam rei expositionem minime supervacaneam esse. Nugosas quidem praecedentis aevi fabulas rejecit aequior et doctior posteritas, unde illas obiter tantum tetigisse sufficiet: sed vero remanent dubia, quae ex perversâ narrationum Sacrarum interpretatione ducuntur; obstant itidem Mythorum patroni, et doctioris Rationalismi fautores, qui his narrationibus, probe a se intellectis atque explicatis, varias ob causas fidem denegant. Quare optime progressuram esse disputationem ratus sum, si, in parte ejus *priore*, Exegeticâ viâ perscrutemur, quid de Jesu extraordinariâ nativitate tradant Evangelistae: in *posteriore* vero, has narrationes earumque argumentum contra dubia, a variis partibus in eas collecta, defendamus. Late patentem atque difficilem hanc disquisitionem esse intelligimus. Sed forte quis objiciat, eam minime necessariam esse nostro tempore, quo hanc sententiam, sive eam amplectaris, sive rejicias, antiquatam jure dicere possimus. Quod nobis parte *ultimâ* dijudicandum erit, ubi de *rei momento* agemus.

Verbo ut dicamus: *primum* narrationes sacras illustrabimus, *deinde* eas tuebimur, *denique* argumenti, quod iis continetur, gravitatem exponemus.

PARS I.

INTERPRETATIO NARRATIONUM, MIRIFICAM JESU ORIGINEM

EXONENTIUM.

Primâ igitur disquisitionis parte, nobis ipsae N. T. narrationes, quae de nostrâ re exponunt, explicandae sunt. De Sospitatoris enim per Spiritum Sanctum ortu disputare difficile est, nisi prius, Grammatico-Historicae interpretationis ope, demonstratum sit, reapse eam rem in his narrationibus inesse, ac per eas nobis tradi. Qua in re ita versabimur, ut, *primum* quidem pericopam, Matth. I: 18-25, *deinde* vero narrationem Luc. I: 26-38, explicantes, in ea in primis accurate inquiramus, quae nostrâ cum re maximam habere videantur conjunctionem: caetera autem nonnulla, quae minoris sint momenti, levius attingamus.

Matth. I: 18-25.

MATTHAEUS postquam Cap. I: 1-17, Sospitatoris tabulam Genealogicam depinxerat, jam ita perguit, ut *et* in reliquâ Capitis I. parte, *et* in toto Capite II. nonnulla, quae ad Jesu originem vitaeque primordia pertineant, copiosius enarret. Et primum quidem in nostrâ pericopâ ea tradit, quae JOSEPHO, MARIAE sponso, dormienti necopinato evenerunt, quum integerrimi viri animus dubiis de sponsae violatâ pudicitâ misere dilaceraretur. Cujus rei expositionem solemnem quadam aggreditur formulâ, ἑπαγωγῆς instar, sect. 18: Τοῦ δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἡ γέννησις οὕτως ἦν. Vox *Ἰησοῦ* jure locum suum tuetur, quamvis a nonnullis Patribus Versionibusque omittatur. Lectio *Χριστοῦ Ἰησοῦ*, vel solummodo *Ἰησοῦ*, fundamento satis firmo destituta esse videtur. Nec multum differt, utrum cum vulgo receptâ *γέννησις* legamus, an vero cum Codicibus B.C.P.S.Z. ac nonnullis Patribus *γένεσις*: utriusque enim significatio eodem fere redit, nisi fortasse vox *γένεσις* *originem* sensu latiore, *γέννησις* vero *procreationem* significatione strictiore indicet. Equidem tamen GRIESBACHII, lectionem *γένεσις* approbantis, sententiam praetulerim, quam et FRITZSCHIIUM ad h. l. secutum esse video: idque non tantum ob testium pondus, (quippe numerum *et* auctoritate *et* momento longe superans) sed et ideo, quod MATTHAEUS, sect. 18-25, non tantum Jesu *γέννησιν* memorat, sed ea etiam, quae, infante jam concepto, JOSEPHO acciderunt; ne dicam, vocem *γένεσιν* sect. 1, quoque occurrere

de re, ad originem naturalem Jesu spectante. Vox οὕτως non idem significat ac αὐτή, quod contendit KUINOELIUS, sed reddenda: *tali modo, hujusmodi*. Persequitur igitur MATTHAEUS, phrasi hac epagoga, interruptam sect. 17. CHRISTI mentionem, ut sensus sit: illius autem, quem modo dixi, JESU CHRISTI, origo hujusmodi erat. Pergit jam: *μηστευθήσης γὰρ τῆς μητρὸς αὐτοῦ Μαρίας τῷ Ἰωσήφ, πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς, εὐρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἐκ πνεύματος ἁγίου*. Neque vox γὰρ, neque Μαρίας e textu eliminanda videntur, sed vulgata lectio retinenda. MARIA igitur hīc nobis proponitur, tanquam JOSEPHO desponsata, atque de ea affirmatur, quod *πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς εὐρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα*. Vox *συνελθεῖν*, ex rei indole, vel *domicilii*, vel *tori* conjunctionem significare potest. Cum plerisque interpretibus prius praetulerim, in primis ob sect. 20 et 24 (1). Neque *εὐρέθη ἔχουσα* h. l. laxè interpretis = *ἦν ἔχουσα* = *εἶχεν*, sed *comperta est*, quod recte jam vidit EUTHYMIUS ZIGABENUS, illud *εὐρέθη* opponens *τῷ ἐφάνη*. Quae vox, quum in N. T. saepius occurrat, nullius personae respectu habito, (vid. Gal. II: 17. Luc. XVII: 18) inanes censendi sunt, qui, *a quonam* potissimum compertum hoc fuerit, anxie quaesiverint. Haec autem constructio per Genitivum absolutum, ubi subjectum in Nominativo deinceps subauditur,

(1) Caeterum, jam antiquitus exstitit sententia, JOSEPHUM h. t. admodum provec̄tā fuisse aetate: unde orta est disquisitio c. GROSSII, « *utrum JOSEPHUS, tempore nativitatis CHRISTI, fuerit senex decrepitus?* » Lipsiae 1672.

perrara quidem est (1); nec tamen ejusmodi, ut nonnulla ex hac sectione extirpanda esse putarem. Neque igitur GERSDORFIO assentiri possumus (2), qui, rationibus Grammaticis ductus, verba *πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοῖς* dubiae fidei esse statuit, quia MATTHAEUS amat, statim pos Genitivum absolutum, ipsum verbum ponere, nullâ intermissâ sententiâ, quippe quae hîc orationem impedire videatur. Quam sententiam, quamvis acutissimam, jure tamen carpere mihi videtur FRITZSCHUS ad h. l. animadvertens «incertum esse iudicium, tam paucis «verbis, quae partem sententiae tantummodo constituunt, «superstructum.» Formulam *ἐν γαστρὶ ἔχειν* (supple *ἐμβρυον* sive *βρέφος*) *graviditatem* significare notum est. Quenam vero hujus graviditatis causa fuerit si quaeris, respondet MATTHAEUS, adjectis verbis *ἐκ πνεύματος ἁγίου*. Quae verba paulo uberius sunt interpretanda. Ac primum quidem paucis de horum verborum *authentiâ* est monendum. Ne enim de iis dicamus, qui totum Caput nostrum in *νοθείας* suspicionem adduxerunt, de quibus postea disserendi erit opportunitas, WASSENBERGHIUS (3) verba haecce e textu rejicienda esse putavit. Quod tamen temere fecisse videtur: nullis enim argumentis *externis*, ne minima quidem, hujus rei suspicio in nobis excitatur; argumenta autem *externa* ita vulgata lectionem defendunt, ut cum externorum testimo-

(1) Quod monet WINER, *Gramm.* p. 137. ed. 4a.

(2) In opere «*Beiträge zur Sprachcharacteristik der Schriftsteller des N. T.*» ad h. l.

(3) In *Dissert. de Glossis N. T.*, praemissa *Selectis e Scholiis VALCKENAERII in libros quosd. N. T.* Vol. I. p. 26.

nio egregie conspirent. Quid? quod tota narratio sect. 20, 24, 25. insulsa plane foret et ridicula dicenda, nisi hac conservatâ dictione. Urget quidem WASSENBURGHIIUS, «quod JOSEPHUS, si Spiritum Sanctum foetus auctorem «jam tum scivisset, moveri totâ re nequivisset:» sed narrationis ratio luculenter docet, JOSEPHUM totius rei ignarum fuisse, donec divinâ admonitione de ea certior redditus sit. Rectissime igitur FRITZSCHIIUS verba defendisse videtur. Illorum autem significatio Grammatica haud dubia esse potest. Nam praepositionem ἐκ non tantum de materiâ, ex qua aliquid fit, sed in primis de causâ, cujus effectus exponitur, usurpari, patet e WINERI *Gramm.* l. l. p. 350. Ad dictionem ἐκ πνεύματος ἁγίου h. l. interpretandam, utilissime adhiberi potest praeceptum illud Hermeneuticum, quod loca parallela inspicere jubet: quod si fecerimus, e Luca I: 35. apparebit, hanc dictionem eo loco, ex orationis concinnitate, per δύναμιν ὑψίστου explicari. Quaeritur autem, utrum h. l. huic phrasi peculiaris vis sit adscribenda, et quid significet formula ἐν γαστρὶ ἔχειν ἐκ πνεύματος ἁγίου. Quae autem formula, quum plenius occurrat loco Luc. I: 35. ad illum locum potius hac de re agendum est. Hic tantum monere juvat, MATTHAËUM certe hanc formulam non Pleonasmii loco adjecisse, sed rem extraordinariam necopinatam illâ exprimere voluisse: quod nisi sumas, parum intelligo equidem, quid tota narratio sect. 20–25, sibi velit. Neque hoc negavit FRITZSCHIIUS, quem tamen nostrae sententiae patronum nemo facile dixerit. Ille autem V. D. verba hac cautione in textu servanda esse statuit, ut simul adjiciat: has voces

non esse auctoris, rem gestam memorantis, sed rei suum ipsius iudicium interponentis. (1) Hanc tamen rei difficillimae expediendae rationem hîc usu venire, haud facile mihi probaverit V. D., nisi sect. 20^b eadem ratione explicuerit, ubi eadem verba in ore ipsius Angeli, JOSEPHO apparentis, invenimus.

Sect. 19. Ἰωσήφ δὲ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, ita pergit Euangelista, δίκαιος ὢν, καὶ μὴ θέλων αὐτὴν παραδειγματίσαι, ἐβουλήθη λάθρα ἀπολῦσαι αὐτήν. Exponitur igitur h. l., quale esset JOSEPHI propositum, quum primum MARIAE conditio ei innotuisset. Fuerunt, qui putarent, JOSEPHUM novisse, MARIAM e Spiritu Sancto fuisse gravidam, atque eam secum retinere noluisse, quod nefas putaret, uxorem se habere eam, ex qua nasciturus esset Dei filius. Quae tamen sententia (cujus fautores apud WOLFIIUM laudantur in *Curis* ad h. l.) non habet, quo se commendet. Nisi enim sequentia misere torqueas, id duntaxat iis tradi videtur, JOSEPHUM rei ignarum fuisse, adeoque MARIAM primum deserere voluisse, unde et excitandus esset voce illâ: μὴ φοβηθῆς παραλαβεῖν Μαριάμ, sect. 20. Quid jam, de re inexpectatâ certior redditus, animo moliretur, sequentia docent. Nolebat eam ignominiose tractare, καὶ μὴ θέλων αὐτὴν παραδειγματίσαι. Vox παραδειγματίζειν significat *exempli loco proponere*, deinde vero *ignominiae publicae exponere atque tradere*: posteriore sensu hîc accipienda videtur. Lectioni δειγματίσαι mihi vulgata

(1) Neque aliâ ratione BARDIUS ad h. l. (*Neueste Belehrungen Gottes* p. 33.) statim post verba nostra adjecit «Sic saltem tunc temporis fabulabantur.»

praeferenda videtur: etiamsi enim librarii saepius vocibus simplicioribus elegantiora atque composita substituerint, tamen haec mutatio non tanto commendatur testium numero, ut a vulgo receptâ facile decesserim. Ignominia, cui MARIAM expositum iri timebat JOSEPHUS, erat vel *lapidationis supplicium*, (Deut. XXII: 23.) vel potius *libellum repudii*, (Deut. XXIV: 1.) quod e sequente *λάθρα* apparere videtur, appposito τῶ παραδειγματίσαι. Optime GROTIUS ad h. l. observasse videtur, vocem *λάθρα* hic non significare *sine ullo teste*, hi enim in tali re semper adesse debebant, (quod multis exemplis, undique collatis, probavit WETSTENIUS ad h. l.); sed sine *judicio publico, privatim, non causâ redditâ*. Itaque eam occulte ἀπολύσαι, dimittere, repudiare volebat: sponsae enim adulterae eadem ratione tractandae erant, atque uxores. Inter verba *θέλων* atque ἐβουλήθη cum DE WETTIO (1) ita potissimum distinxerim, ut prius per *inclinare*, posterius vero per *sibi proponere* explicuerim. Hujus autem propositi causam sitam fuisse in ejus indole et caractere, docent verba *δίκαιος ὢν*. Minime iis assentiri possumus, qui vocem *δίκαιος* per *severum* interpretantur (2), eamque sequentibus opponant, quae mitem JOSEPHI prodant agendi rationem: neque FRITZSCHII opinioni subscribimus, qui, multos alios secutus, de *leni* et *benigno* accipit vocem, quae sententia frustra ex interpretatione minus accuratâ ejusdem vocis, loco I Joh. I: 9. praesidium quaerit. Proprio sensu potissimum vocem accipiamus, quo signi-

(1) *Exeg Handb.* I. 1. ad h. l.

(2) Ita Doct. PAULUS in *Comment.* ad h. l. Edit. 1.

ficat, JOSEPHUM ea excelluisse virtute, quae in regno Theocratico summa censebatur, *justitiâ*; i. e. eum fuisse *hominem integrum, pium, probumque*. Talis cum erat, sponsam, quam purissimam habebat, necopinato gravidam inveniebat. In varias partes fluctuabat. Clam eam dimittere sibi proposuit, nec, quid ipsi esset agendum, probe scivit. Dubitanti autem hac de re, en! aliquid evenit plane extraordinarium, quod nobis deinde tradit MATTHAEUS.

Sect. 20. « Ταῦτα δὲ αὐτοῦ ἐνθυμηθέντος, ἰδοὺ, ἄγγελος κυρίου κατ' ὄναρ ἐφάνη αὐτῷ, λέγων· Ἰωσήφ υἱὸς Δαβὶδ, μὴ φοβηθῆς παραλαβεῖν Μαριὰμ τὴν γυναῖκά σου· τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν ἐκ πνεύματος ἔστιν ἁγίου. Exiguâ nititur auctoritate MILLII conjectura, vocem κυρίου e sect. 24. huc esse translata. Quod autem paucissimi testes pro receptâ ἐφάνη exhibent φαίνεται, tribuendum videtur studio rem inopinatum atque extraordinariam graphice depingendi. Quod per ἄγγελον κυρίου indicare voluerit MATTHAEUS legatum quendam coelestem, unum eorum, quibus cingi thronum JEOVAE e V. T. noverat, sponte patet. Si igitur KUINOELIUS ad h. l. angelum explicat de peculiari quadam providentiâ divinâ, quam referebant Judaei ad auctores invisibiles, quorumque ministerio utitur Deus ad sua consilia exsequenda, certe hoc cum MATTHAEI notionibus atque rem informandi ratione aperte pugnare videtur. De primariis vocis ἄγγελος significationibus, monent interpretes ad h. l. Adjecta autem definitio κατ' ὄναρ significare videtur *in somnio*; sive, magis accurate, *tempore somni*, quam vim prae-positionis κατὰ exposuit WINER, l. l. p. 380. Hic

angelus JOSEPHUM compellat «*υἱὸν Δαβὶδ*», quo magis eum incitaret, ad MARIAM recipiendam, quam Messiae, DAVIDIS prolis, matrem futuram esse, ipsi annuntiabat. *Μὴ φοβηθῆς*, inquit, *παραλαβεῖν Μαριάμ τὴν γυναῖκά σου*. Vocem *παραλαβεῖν* hīc de *recipiendā uxore in aedes*, non vero de *consuetudine* cum illā adhiberi, e sequentibus satis apparet. JOSEPHUM igitur excitat Angelus, ut sine curā dubioque excipiat sponsam «*τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν*, addit, *ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου*.» *Γενᾶσθαι* significat vel *nasci* vel *procreari*: posterius ego praetulerim. Particulam *ἐν* vim habere *instrumentalem*, recte monet WINER I. I. *ἐν αὐτῇ* igitur fusius reddi potest per: *ἐν τῇ κοιλίᾳ αὐτῆς*, atque neutrum genus participiū *γεννηθὲν* postea ita definitur, ut de *filio* mentio injiciatur: formula autem *ἐκ πν. ἁγ. ἐστίν*, procul dubio, eodem sensu, est accipienda, atque sect. 18. Indicat enim legatus divinus, MARIAM, quamvis conceperit, puram atque intactam mansisse, neque ullam causam dari posse idoneam, quare eam non reciperet JOSEPHUS.

Pergit enim oraculum divinum sect. 21, *τέξεται δὲ υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν* αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν. Illud *καλέσεις* hīc non *praesagientis*, sed *praecipientis* esse videtur, ex Hebraico loquendi usu. Verba *τὸ ὄνομα αὐτοῦ* non, cum KUINOELIO ad h. l., laxe sunt interpretanda per *αὐτὸν*, quae vocula *rem* quīdem indicat, minime vero phraseos *vim*. Omnino majore *ἀκριβείᾳ* FRITZSCHUS: *nomen compellabis* i. e. *constitues ei* JESUM; *ὄνομα* enim per Hebraismum dicitur, quodcumque alicui maxime proprium est, quove ab aliis distinguitur. (cf. Matth. II: 21. Luc.

I: 13, 31. Apoc. XIX: 13). Quod ad nomen JESU attinet, peculiari nostrae interpretationis consilio non consentaneum est, de ejus significatione Grammaticâ multa disserere. Paucis igitur hoc penso defungamur. Sententiam eorum, qui vel litteras nominis JEHOVAE in eo invenerunt, vel a Gr. *ἰάσθαι* inepte nomen derivarunt, dijudicant WOLFIIUS atque GROTIUS ad h. l. Optima mihi eorum ratio videtur, qui *יְהוֹשֻׁעַ*, formam maxime originalem, contractam in *יְשׁוּעַ*, (cf. Nehem. VII: 7.) significare statuunt *salutem, salvatorem, σωτήρα*, quam interpretationem sequentia satis tueri videntur. Caeterum alii nomen *σωτήρα* reddunt per *Servatorem*, alii per *Salvatorem*, alii per *Sospitatorem*: ipsam autem vocem, omni sua vi, latine reddi posse, aperte negavit CICERO (*in Verrem*, II. 63). Exempla virorum clarorum, quorum nomina ante natales jam constituebantur, in V. T. plura inveniuntur (vid. e. g. Gen. XVI: 11). Hac autem agendi ratione indicabatur parentibus, quid ab hac prole ipsis potissimum expectandum esset. Ita et sequentia vim nominis *Ἰησοῦ* explanant: *αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἐμαρτυῶν αὐτῶν. Αὐτὸς* procul dubio hîc mihi *de populo Judaico* explicandum videtur: quo significatu vulgo *τοῖς ἐθνοῖς* opponitur, quamquam haec etiam vox subinde nationem Judaicam indicat e. g. Joh. XI: 51. Neque miretur quis, salutem, a Messia expectandam, hîc ab ipso legato divino restringi ad populum tantum Judaicum. Huic enim primum Euangelium erat annunciandum, deinde vero, illis benevolas aures non praebentibus, gentibus afferendum: quae res hîc non negatur, sed sapienter silentiâ praetermittitur, utpote temporis rationi

minus accommodata. Vocem *ἀμαρτίαν* sensu maxime generali acceperim, *et* de ipso peccato *et* de ejus effectibus, iisque *cum* politicis, *tum* moralibus. Proponitur igitur h. I. Jesus, tanquam popularibus summam allaturus salutem, eosdemque a peccato omnibusque calamitatibus liberaturus. Est autem observatione dignissimum, hanc rei expositionem, ab alterâ quidem parte, nil continere, quod Deo sit indignam, ab alterâ vero, JOSEPHI captui plane esse accommodatam, imo cum optimorum Israëlitarum de Messîâ expectatione convenire. Cf. Luc. I: 76-79. II: 29-32. Qua in re non possumus non *cum* Divinam sapientiam admirari, *tum* internum veritatis documentum laeti agnoscere.

Jam, hoc divino nuntio memorato, MATTHÆUS lectorum animos oculosque convertit ad antiquum illum prophetae effatum, quod summam cum re praesciti convenientiam spirabat. Etenim,

Sect. 22. τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, inquit, ἵνα πληρωθῇ τὸ δηθὲν ὑπὸ τοῦ κυρίου διὰ τοῦ προφήτου, λέγοντος (quod τῷ προφήτου Codex Cantabrigiensis ἠσαίου addit, id interpretationem redolet). Antequam vero de ipsis, quae repetit, verbis agamus, breviter praemonendum, *cum* de personâ, quae hîc loquitur, *tum* de vi formulae, quae vaticinio praemittitur. Sunt enim, qui sect. quoque 22, 23. ad orationem Angeli referant: inter hos fuerunt CHRYSOSTOMUS, THEODORETUS, PAULUS, alii. Cui sententiae quominus subscribam, tota rei ratio impedit, quae omnino plerorumque recentiorum sententiam propugnat, qui ad MATTHÆUM haecce verba referunt, quod suadet *tum* illud γέγονεν, *tum* constans ac perpetua Euan-

gelistae, in commodum Christianorum e Judaeis scribentis, consuetudo, quae narrat, vestigia in V. T. jam adesse demonstraret. Quod ad citandi formulam attinet: vox *ἵνα* ab aliis *τελικῶς*, ab aliis *ἐκβατικῶς* accipitur. Nos priori sententiae palmam tribuere haud reformidamus: imo cum WINERO et FRITZSCHIO dubitamus, utrum vox *ἵνα* semel in N. T. *ἐκβατικῶς* sit accipienda. Quidquid est, hīc *τελικῶς* vocem interpretari debemus, quia praecedentia *τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν* luculenter *consilium* arguunt. Si enim ad mentem auctoris scripta ejus sint judicanda atque explicanda, negari non posse videtur, MATTHAEUM ubique divinam quamdam efficacitatem vidisse, qua factum sit, ut CHRISTO acciderent, quaecumque e scriptis Prophetarum ei accidere deberent. Nequaquam igitur cum iis facere possumus, qui integram formulam *ἵνα πληρωθῆ* reddunt: *ita ut hic plane valeret, quae de longe aliā re dixerat Propheta*. Nemo enim facile probaverit, formulam, vi vocis, hujusmodi quid significare: etenim, sic non tantum vocis *ἵνα*, *consilium*, non *eventum* indicantis, vis infringitur, verum etiam a significatione simplici vocis *πληροῦσθαι* receditur, quae, si de vaticiniis adhibetur, non alia est, quam *eventu comprobari, ratum fieri* (Jac. II: 23. Luc. IV: 21. Matth. XXVI: 54, 56). Imo valde dubito, num quis formulam sic interpretaturus fuisset, nisi hoc ipsum ei molestiam creasset vaticinium. Constat enim, nonnulla vaticinia V. T. in Novo laudari, quae nos, oraculum unice spectantes, atque e legibus interpretationis Grammatico-historicae enarrantes, nequaquam eo retulisse, quo ea referunt N. T. scriptores.

Negari quidem non potest, hanc sententiam, qua statui-
 mus, MATTHAEUM hunc aliosve locos, quos e V. T. ad
 Messiam referat, veri nominis habuisse vaticinia, pro-
 priis privisque suis premi difficultatibus. Quaeri enim
 posses: quamnam normam secuti, V. T. vaticinia explica-
 verint N. T. scriptores? deinde vero, utrum vaticinii even-
 tum, quem illi exhibent, simul *unicum* verum habeant?
 porro, quo nomine haec eorum ratio cum V. T. usu
 apud Rabbimicos scriptores conveniat, atque lectorum
 notionibus respondeat? denique, quatenus haec illo-
 rum ratio nostrum de aliquo loco iudicium vel regere
 debeat vel mutare? Sed de iis omnibus hic non dis-
 putandum videtur. Hoc unice agimus, ut MATTHAEI
 verba ad ipsius mentem explicemus; quod si facimus, aut
 omnia me egregie fallunt, aut, *et auctoris, et Euange-*
lii consilii, et lectorum animi ratione habitâ, formulae
ἵνα πληρωθῆ hanc significationem tribuamus necesse est:
eventu est comprobatum idem illud, quod antea prae-
sagittum erat. MATTHAEO scilicet persuasissimum erat,
 oraculum illud veri nominis divinum, quod laudabat,
 omni vi suâ atque ambitu ratum factum esse hac op-
 portunitate: unde et adiecit illud *ὑπὸ τοῦ κυρίου.* Per-
 git jam ad ipsam oraculi summam referendam.

Sect. 23. *ἰδοῦ, ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἔξει, καὶ τέ-*
ξεται υἱόν, καὶ καλέσουσι τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ-
ὃ ἐστὶ μεθερμηνεύμενον, μεθ' ἡμῶν ὁ θεός. Quod
 paucissimi testes pro *ἔξει* habent *λήψεται*, id emendatio-
 nem redolet, e textu LXX, quem caeterum ad verbum
 reddit MATTHAEUS. Vocis *ἐμμανουήλ* interpretationem
 Graecam addit, secundum quam hoc nomen eum indi-

cat, qui nobis pignus erit atque documentum divini favoris auxiliique. De difficillimo vaticinio paucissimis monitis defungemur, utpote non illud, sed MATTHAEUM interpretantes, cujus verba, per se spectata, parum difficultatis praebent.

Regnum Judaicum: ACHAZO regnante, summâ premebatur angustiâ. Et Syriae et Israël's rex simul illud aggrediebantur. Foedere cum Assyrîis pacto, salutem quaerebat ACHAZUS. Regi divinum promittit auxilium JESAIA, atque ut illi ὀλιγοπιστῶ succurrat, ei permittit signum coeleste postulare; rem recusat hypocryta, Jehovaham quasi tentare nolens. Jam Propheta, vehementiore voce, «audite,» inquit, «domus Davidis! parumne vobis videtur, molestos esse hominibus, quod defatigatis etiam Deum meum, dum signum, clementer vobis oblatum, cum contemptu rejiciatis, quasi vires Illi deficiant, ad vos liberandos?» Igitur vobis nolentibus dabit ipse Dominus signum. הַנְּהָה הָעֵלְמָה הָרָה וְיִלְדֶרְתָּ בֵן וְקָרָאתָ שְׁמוֹ עֲמֵנוּאֵל Hunc locum igitur MATTHAEUS accepisse videtur, tanquam rei, nunc in facto positae, annuntiationem; quam interpretandi rationem secuti sunt pluriimi interpretes antiqui, cum Judaici, tum Christiani. Quicumque eam commendant, his fere utuntur argumentis: Propheta non amplius se ad ACHAZUM convertit, sed ad domum DAVIDIS, e quâ (Jesaia XI: 1.) Messiam expectabant: huic domui jam promittit Messiam, cujus natales signum exhiberent, quo constaret, civitatem atque familiam, quibus haec promissio olim certa atque indubia apparere deberet, perire non posse, adeoque illis ab hostibus nil esse timendum. Vox עלְמָה hujus sententiae

patronis interpretanda videtur *de virgine illibatâ* (quae significatione occurrit etiam Gen. XXIV: 3. Exod. II: 8. prouti et LXX vocem reddunt per *παρθέναν*.): imo vox *נִמְרָה* iis signum est, aliquid inauditum prorsus hîc recitari, ejusdemque sententiae vestigium cernunt in locis Jesaiae VIII: 8. Michae V: 2 (1). Nos autem, locum non JESAIÆ, sed MATTHÆI tractantes, rem ut conficiamus, de qua summi viri dubii haerent, quaeque juveniles vires prorsus excedit, nemo aequus exiget. Fateor equidem, loci contextum mihi plurimum difficultatis parere (2). Nobis autem sufficiat vidisse, quo pretio MATTHÆUS hoc vaticinium habuerit, quibusque argumentis usus sit. Hanc igitur interpretationem illi tantum in MATTHÆO vituperare possint, quos adhuc lateat, Apostolos, homines religiosissimos, in V. T. nullius fere imaginem invenire potuisse, nisi ipsius Messiae.

Sect. 24. Ad finem perduxerat MATTHÆUS rei explanationem, oraculo divino allato. Jam vero properat ad rei exitum exponendum. Divino mandato morem gessit JOSEPHUS. *Λεγομεν δὲ ὁ Ἰωσήφ ἀπὸ τοῦ ὕπνου, ἐποίησεν ὡς προσέταξεν αὐτῷ ὁ ἄγγελος κυρίου, καὶ πα-*

(1) Uberius haec aliaque argumenta persectus est HENGSTENBERGIUS, *Christologie d. A. T.* ad h. l.

(2) Nisi cum ROSENMULLERO ad h. l. statuere velis, Prophetam Messiae adventum, suâ adhuc vigente aetate, expectasse, aut cum HENGSTENBERGIO (l. l. Tom. I. P. 2. p. 84 alibi), Prophetas omnia futura inter se commixta vidisse in *spatio* quodam indefinito, *temporis* vero nullam rationem habuisse: quarum hypothesium ultra explicatu atque probatu sit difficilior, equidem non video. Caeterum cff. ad h. l. HITZIGIUS et GESENIUS in *Commentt.*

ῥέλαβε τὴν γυναῖκα αὐτοῦ. Nullam causam video a vulgata lectione διεγεροθεῖς recedendi: potius putaverim lectionem ἐγεροθεῖς e Capite II. huc translata esse, ubi quater occurrit (sect. 13, 14, 20, 21.) Certissime JOSEPHO persuasum erat, se non sensuum fraude deceptum, sed divinae voluntatis singulari patefactione collustratum esse: obtemperavit igitur mandato Divino, idque statim ostendit (vocula καὶ hic explicandi vim habet), uxorem in domum recipiens.

Sect. 25. καὶ οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτὴν, ἕως οὗ ἔτεκεν τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν προπτόκορον, καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν. Γινώσκειν per Euphemismum apud profanos etiam auctores conjunctionem tori indicat. Hanc igitur ante Jesu natales inter ejus parentes obtinuisse, candide negat MATTHAEUS. Qua animadversione eorum sententiam oblique refutat, qui JOSEPHUM verum Jesu patrem habebant. Nonnulli autem hoc ejus propositum eo extenderunt, ut indefinite hoc valeret de omni tempore post Christi natales. Nobis vero formula restringenda videtur ad tempus, quo nondum natus erat CHRISTUS. Grammaticae enim rem si spectas, negari posse non videtur, formulam ἕως οὗ (sc. χρόνου) de tempore quodam definito vulgo usurpari, quo praeterlapso, non amplius valeat restrictio. (vid. Gen. VIII: 7. Ps. CX: 1. ubi similis formula Hebraica וְעַד־כִּי ita accipi debet: cf. et Matth. V: 26. 1 Tim. IV: 13.) (1). Historice respectatâ, satis apparet, maximam venerationem, qua Christi humanam naturam et MARIAM θετόκορον prosequere-

(1) Uberius hoc videre est apud FRITZSCHUM ad h. l.

bantur Patres, eos impedivisse, quominus communionem conjugalem inter Jesu parentes, etiam post ejus natales, admitterent. Neque *Dogmatice* qui rem recte considerant, aliquid in nostrâ interpretatione invenient, quod eos jure offendant, vel scrupulum injiciat. Quicumque enim putant, hac sententiâ a *MARIAE χριστοτόκου* dignitate aliquid detrahi, non animadvertunt, foecunditatem apud Hebraeos longe majori aestimatam esse pretio, quam sterilitatem, aut perpetuam virginitatem: imo numerosam eos prolem inter peculiaria recensuisse beneficia divina. Qui verò haec Jesu minus honorifica habeant, audiant *Pottum* (1). «Quod si majestas J. C. ex loci, quo ortus est, tenuitate, vitae humilitate, ipsius denique mortis infamiâ, nullum omnino cepit detrimentum, cur fratrum consortium, et id quidem variis gravissimisque vitae communis virtutibus alendum aptissimum, ipsi opprobrio ducatur?» Strictiore igitur sensu nos *MATTHAEI* narrationem accipimus de tempore ante *CHRISTI* natales. E voce *πρωτότοκος* non quidem necessario sequitur, plures post Jesum e Mariâ natos fuisse liberos (*Exod. XIII: 2.*), sed tamen hujus rei suspicionem nobis injicit dictio illa, quâ caeteroquin vox *μονογενής* aptior fuisset.

§ 2.

Lucas I: 26-38.

Eadem ratione, qua *MATTHAEI* narrationem exposuimus, age! jam videamus, quid *LUCAS*, ὁ παρηκολούθηκώς

(1) Vidd. ejus *Prolegg. in Ep. JACOBI*, p. 65. edit 3a.

ανωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς, hac de re litteris mandaverit. Rem exposuit Cap. I: 26-38, quem locum, utpote in nostrâ re classicum, brevi disquisitione perlustremus.

Postquam igitur sect. 5-25. exposuerat, quantopere ZACHARIA atque ELIZABETHA, pii senes, certiores redditi de egregio filio, ex iis orituro, ad summum gaudii fastigium essent eveci, procedit auctor ad majora etiam exponenda, quae JESU matri, ante Illius natales, evenerint. Quod facit pericopâ nostrâ. Accurate hac in re procedens, a *temporis, loci, personarumque* descriptione initium ducit. Nam

Sect. 26, 27. ἐν δὲ τῷ μηνὶ τῷ ἕκτῳ, inquit, ἀπεστάλη ὁ ἄγγελος Γαβριήλ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς πόλιν τῆς Γαλιλαίας, ἣ ὄνομα Ναζαρέτ, πρὸς παρθένον μεμνηστευμένην ἀνδρὶ ᾧ ὄνομα Ἰωσήφ, ἐξ οἴκου Δαβὶδ, καὶ τὸ ὄνομα τῆς παρθένου, Μαρίας. *Temporis* definitio computanda est inde ab iis, quae sect. 24. praecesserant; accurate igitur exponit, quodnam temporis intervallum JESU inter atque JOHANNIS conceptionem decurrerit. *Locum*, quem adiit Angelus, *Nazaretham* vocat Euangelista. Non nostrum est, de nominis origine, vel de variâ ejus scribendi ratione, in variis Codd. Mss., disputare, quippe quae minoris esse momenti videantur: urbs haud adeo magna erat, colli superstructa (Luc. IV: 29.), in parte Galilaeae inferiore, (1) ubi JESUM primâ aetate vixisse atque adolevisse novimus. Ad hunc locum mittitur angelus quidam GABRIEL, nomen e V. T. notum. Mittitur autem ad MARIAM, virginem JOSEPHO desponsatam. Ad

(1) Vid. WINER *Real-Wörterb.* II. p. 167.

hanc enim in nostrâ narratione omnia referuntur, prouti in praecedente ad JOSEPHUM. Verba ἐξ οἴκου Δαβὶδ mihi procul dubio ad JOSEPHUM, non vero ad MARIAM referenda videntur, quod uberius etiam apparet e Luc. II: 4: injuriâ autem, ut videtur, nonnulli (1) hoc negant, qui verba ad MARIAM potius referunt, quo magis de JESU origine Davidicâ indubiâ constaret, licet e solâ MARIA originem duxerit. Quam rem, infra uberius a nobis exponendam, hîc praetermittimus. Caeterum, quae jam sequuntur, non in *somnio* MARIAE acciderunt; hujus enim rei nullum cernitur in narratione vestigium: imo tota ejus ratio sic invertitur: neque convenientia, quae inter nostram narrationem et praecedentem, sect. 12 sqq. obtinet, huic opinioni favet.

Sect. 28. καὶ εἰσελθὼν ὁ ἄγγελος πρὸς αὐτὴν, εἶπε χαῖρε, κεχαριτωμένη· ὁ κύριος μετὰ σοῦ, εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν. Jam ex diversâ hujus commatis interpretatione luculenter patet, in quam varias partes abierint interpretis, nostram rem tractantes. Plurimae sunt sententiae de *personâ*, quae ad MARIAM intrasse affirmatur. Fuerunt, qui hunc *hominem* fuisse suspicarentur, eumque *adolescentem* et *pulcerrimum quidem*: quo vero consilio id faciant, quoque loco et LUCAM et MARIAM ipsam habeant, videant ipsi. Neque majore pollet auctoritate sententia alterius (2), hîc de summo sacerdote cogitantis, qui ZACHARIAE filium promiserat, atque ab hoc angeli

(1) OCCUMENIUS, BEZA, alii.

(2) *Anonymi* ejusdam, quem laudat PAULUS in *Comment. ad h. l.* pag. 9, 10.

instar salutabatur, quique, eventu vaticinii, quod ZACHARIAE in gratiam ediderat, jam incitabatur, ut simile quid MARIAE annuncieret. Hanc vero interpretationem tam insulsam atque inficetam dixerim, ut locum magis torqueat et dilaceret, quam expediat. Nil certe constanti fere N. T. loquendi rationi, atque auctoris nostri notionibus magis repugnat. Profecto, Mythicam tunc interpretationem longe praetulerim, quae verborum significationes et auctorum notiones saltem intactas relinquit. Apud me certe constat, LUCAM hic sibi Angelum, proprie sic dictum, informasse. Caeterum, quod attinet ad salutationis veram lectionem atque sensum, verba ὁ ἄγγελος omnino nobis sunt retinenda: quod autem paucissimi legunt: εὐαγγελίζετο αὐτὴν καὶ εἶπεν, id paraphrasin redolet. Verba tandem καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου, quae nonnulli ad sectionis finem addunt, aperte e sect. 42, quo pertinent, huc translata sunt; unde fortasse etiam verba εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν in hanc sectionem irrepserunt, quae saltem verba in Codd. B. L. aliisque non leguntur. Vox κεχαριτωμένη non externam quamdam pulcritudinem significat, sed gratiam peculiarem divinam, quâ electa erat ad mundi Sospitatorem in lucem edendum.

Sect. 29. ἡ δὲ ἰδοῦσα, διαταράχθη ἐπὶ τῷ λόγῳ αὐτοῦ, καὶ διελογίζετο ποταπὸς εἶη ὁ ἀσπασμὸς οὗτος. Ita jam pergit Euangelista, exponens, quâ ratione hic nuntius MARIAE animum affecerit. Alii pro recepta: ἡ δὲ ἰδοῦσα διαταράχθη ἐπὶ τῷ λόγῳ αὐτοῦ, legunt ἡ δὲ ἐπὶ τῷ λόγῳ διαταράχθη (s. ἐταράχθη, omissâ voce ἰδοῦσα, cui substituitur in Vulgatâ, cum audivisset.)

Quam variam lectionem exinde fortasse ortam esse cum DE WETTIO existimaverim, quod minus congruum putarent nonnulli, *et ex adspectu, et ex auditu timoris causam repetere.* Perperam tamen KUINOELIUS ad h. l., ut videtur, *videndi* atque *audiendi* notiones permutavit, cum illud ἰδοῦσα reddiderit: *cum audivisset.* Mihi autem ἰδοῦσα retinendum videtur. Ut vero ad ipsam rem me convertam, MARIAE sic fere mihi animi conditionem informo. Parum intelligebat, quaenam esset illa supra omne genus muliebri gratia ac celebritas, cujus nanciscendae spem illi fecerat Angelus. Animo igitur multa volvens, frustra aenigma solvere tentabat. Quod tamen hac de re statim cogitaverit, id nobis documento est, non coeco eam stupore abreptam fuisse, viso illo Angelo, sed tamen pertimuisse, cum ei splendor divinus nec opinato appareret. Verum enim vero animi constantiam plane convellere non potuit haec visio: sciebat enim e V. T. saepius Dei electis talia contigisse: et quamquam per ipsam apparitionem in summam admirationem abrepta, tamen simul, imo prae caeteris in animo recoluit, ποταπὸς εἶη ὁ ἀσπασμὸς οὗτος. (ποταπὸς = ποῖος. i. e. *cujusnam indolis et significationis.*) Angelus autem et timorem lenire, et illam rem, propter quam eam adierat, magis explicare coepit. Nam

Sect. 30. καὶ εἶπεν ὁ ἄγγελος αὐτῇ· μὴ φοβοῦ, Μαριὰμ εὖρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ Θεῷ. Quae Angeli verba minime cum iis pugnant, quae supra de MARIAE animi conditione monuimus. Verecundam nimirum admirationem ostenderat illa: quam et sublevat et auget legatus Divinus, addendo, εὖρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ Θεῷ: quae

formula mihi convenire videtur cum Hebraeorum
 𐤒𐤓 𐤍𐤕𐤑 q. e. *gratiam consequi s. studio, s. divino
 amore illam nobis tribuente*. Qualis autem esset gratia
 illa divina, cujus tam insigne documentum ei praestiturus
 erat Deus, explicat Angelus sect. 31-33. *καὶ ἰδοὺ συλ-
 λήψῃ ἐν γαστρὶ, καὶ τέξῃ υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐ-
 τοῦ Ἰησοῦν· οὗτος ἔσται μέγας, καὶ υἱὸς ὑψίστου κληθήσε-
 ται, καὶ δώσει αὐτῷ κύριος ὁ Θεὸς τὸν θρόνον Δαβὶδ
 τοῦ πατρὸς αὐτοῦ καὶ βασιλεύσει ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰακώβ εἰς
 τοὺς αἰῶνας, καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος.*
 Prouti JOSEPHO (Matth. I: 21.), ita et hīc MARIAE filii
 nomen annuntiat: quo jure autem hoc nomen gere-
 ret, sequens illud exponit, *μέγας ἔσται*. De JOHANNE,
 sect. 15. idem affirmaverat GABRIEL, sed hīc illud longe
 sublimiore sensu est accipiendum. Addit autem, *υἱὸς
 Θεοῦ κληθήσεται* i. e. «nomen illud, quod jam in V. T.
 «regibus Theocraticis tribuebatur (Ps. LXXXIX: 15.)
 «huic etiam summo regi summo jure tribuetur, imo
 «haec ejus dignitas publice agnoscitur.» (Haec enim est
 vis vocis *κληθήσεται*, quae indicat eum, *qui, qualis est,
 talis etiam agnoscitur*). Sequentia autem *καὶ δώσει κ.
 τ. λ.* ad antiquum oraculum respicere videntur, quod
 occurrit II Sam. VII: 13, 14. cujusque argumentum
 repeterunt et explanarunt Prophetæ pariter ac poëtae,
 Ps. LXXIX: 15. Jesaia IX: 7. Jerem. XXXIII: 15. Quid
 mirum, in Messia magnitudinis et potentiae conjunctio-
 nem aequales expectasse, quam per partes divisam vi-
 dissent jam antiqui Israëlitæ in summis suis regibus?
 Multum molestiae interpretibus creavit, regnum Mes-
 siae hīc tantum limitari ad οἶκον Ἰακώβ. Fuerunt,

qui ex hoc loco effecerint, Messiam primum conditurum fuisse regnum politicum atque Theocraticum, proprio sensu, unde hunc locum iis de Messia vaticiniis annumerant, quae eventu non comprobata sunt (1). Alii, cuncta colligentes, quibus inter vaticinium ejusque eventum convenientiam vindicarent, τὸν οἶκον Ἰακωβῆν sensu quodam sublimiore acceperunt, vel huic JACOBI familiae Ethnicos quoque adscripserunt, quippe qui (uti GROTIUS ad h. l. animadvertit) per Messiae arma, i. e. per Evangelium eo adducti, ut Deum Israëlis colerent, facti sint Israëlitae. Nos Angeli verba optime explicaturi nobis videmur, si proprio sensu ea accipiamus, atque ingenue fateamur, ad Jacobi progeniem Messiae regnum hîc restringi. Quae res ne quem offendat, nobis observandum est, *primum* quidem, verba prorsus vera omnino continere, etiamsi non *integrum verum* contineant: *deinde* vero, hanc regni Messiae limitationem plane convenire cum MARIAE optimorumque Israëlitarum notionibus. *Denique*, verba sequentia τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔστιν τέλος unicuique perspicaciori palam facere, *regnum indefinitum non semper unius JACOBI progeniem complecti posse*. Non diserte igitur hîc affirmatur, multo autem minus negatur, Messiae regnum olim nullis terminis circumscriptum iri; sed sapienter silentio hoc premitur, quippe temporis conditioni minus consentaneum, ac MARIAE notionibus locoque plane contrarium: cui hac opportunitate ea tantum annuncianda erant, quae Messiae expectationem

(1) Vid. WEGSCHEIDER, *Theol. Dogm.* § 50 p. 207.

desideriumque in eâ excitare debebant; illud vero non aperiendum, quod ejus notionibus plane adversabatur.

Mirabatur haec MARIA, et mirabatur merito. Neque tamen posterior haec splendida regni descriptio primaria atque proxima admirationis causa erat; magna quidem continebat haec, imo maxima, sed tamen non inaudita. Contra e V. T. talis Messiae ejusque regni adumbratio ei innotuerat, quacum accurate conveniebat Angeli promissio. Ipsam igitur rem, talem nimirum personam illustrem nascituram esse, non dubitabat. Sed aliud quid GABRIELIS verbis inerat, quod in primis ejus animum adverterat, captumque plane superaverat. Hoc, quod ex *illâ* Jesus oriturus esset, illud «συλληψη ἐν γαστρὶ, καὶ τέξῃ υἷόν» animum percussit plane.

Sect. 34. εἶπε δὲ Μαριάμ πρὸς τὸν ἄγγελον, πῶς ἔσται τοῦτο, ἐπεὶ ἀνδρὰ οὐ γινώσκω; Ni fallor, his verbis loquentem quisque audit virginem, cujus unicum et summum bonum intactae pudicitiae laus erat, et profecto, haud scio, utrum animi candorem magis admirer, an generosam virginis magnanimitatem, a cujus casto animo impura quaeque longissime remota erant. Honorificum munus, ipsi oblatum, MARIAE quidem mentem summo gaudio implebat: verumtamen huic gaudio praevalebat castus purusque virginis sensus, quem diligere aequae ac venerari nos oportet. Aliter fieri non poterat, quin, Angeli verbis auditis, statim haec obiectio ejus animo obversari deberet. Qua ratione id fieri possit, quaerit, quod illa, intacta atque illibata virgo, mater Messiae evadere posset? Et jam summo splendore lucescit responsum, ei ab Angelo datum.

Sect. 35. πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον κληθήσεται υἱὸς Θεοῦ. (1) De hisce verbis, in quibus rei cardo versatur, paulo uberius atque accuratius videtur agendum. Videamus igitur primo, quid sibi velint verba, πνεῦμα ἅγιον καὶ δύναμις ὑψίστου. De priore dicendi formulâ nemo quidem incertus haerere potest. Spiritum illum divinum indicat, ad quem omnia praeclara atque sancta unice sunt referenda. Immerito, ut nobis quidem videtur, OLSHAUSENIUS, in *Comment.* ad h. l. negavit, phrasin πνεῦμα ἅγιον ad Illum referendam esse, vulgo qui in N. T. hoc nomine insignitur, quem vero post JESU in coelum discessum operari demum posse, e Joh. VII: 39. probare conatur. Urget in primis absentiam articuli τὸ; unde formulam potius de ipso Deo, naturâ sanctissimâ, explicandam esse dicit. Haec autem interpretatio, ut mihi quidem videtur, neque simplicitate, neque constanti N. T. loquendi usu se commendat: sed Dogmatico magis quam Exegetico fundamento nititur. Majorem vero molestiam creat illud δύναμις ὑψίστου. In tres potissimum partes abeunt interpretes, alii ad Deum patrem, alii ad Christum, ad Spiritum Sanctum formulam referentes alii. Qui de Deo patre haec intelligunt, hoc potissimum fecisse videntur ob causas Dogmaticas; ex antiquioribus eam sententiam proposuerant nonnulli, quos e recentioribus secuti sunt CORNELIUS A LAPIDE, alii, qui, hac nitentes interpreta-

(1) Vid. de hac sectione Dissertatio philologico - theologica quam conscripsit H. MEDER, Gron. 1784.

tionem, probare volunt, Deum patrem, virtute indivisâ ac essentiali, q. d., cum Filio atque Sp. S. ad opus conceptionis et incarnationis τοῦ λογοῦ concurrisse. De ipso Christo hoc acceperunt CHRYSOSTOMUS, RUFINUS, THROPHYLACTUS; BEZA plurimique alii. Provocant hujus sententiae patroni ad loca nonnulla in N. T. ubi et Christus δὲναμὸς Θεοῦ vocatur (I Cor. I: 24.). In primis vero ob Dogmatica rerum momenta sic statuunt. Orta enim est haec opinio et e sententiâ Ecclesiae, MARIAM non merum hominem concepisse, sed Dei filium, qui, postquam ejus corpus a Sp. S. erat praeparatum, ei ἐπεσκέλασεν — et e timore, ne a Spiritûs Sancti, quippe tertiae personae in Divinâ naturâ, honore aliquid detraheretur: — et e studio, toti Trinitati hîc locum tribuendi. «Vide igitur (inquit RUFINUS, in *expositione Symb. Apost.*) coe-
«rantem sibi invicem Trinitatem. Spiritus Sanctus venire
«dicitur super virginem, et virtus Altissimi obumbravit
«ei. Quae est virtus Altissimi, nisi ipse CHRISTUS, qui
«est Dei virtus et sapientia? Adest igitur Altissimus,
«adest et virtus Altissimi, adest et Spiritus Sanctus.» (1)
Neutri harum posteriorum interpretationum subscribere possumus: quamvis enim ingeniosae sint, tamen simplicitatem parum referunt. Si autem parallelismum membrorum in auxilium vocamus, quod hîc in primis

(1) Haec sententia item placuit JOHANNI DAMASCENO (ἐκθεσις τῆς ὁρθοδ. πίστ. II: 2.), qui «post consensum sanctae virginis» inquit, «obumbravit ei Dei altissimi, in suo hypostasi subsistens, Sapientia et virtus, «Filius Dei, patri consubstantialis, veluti divinum semen.» Caetera castis auribus minus placebunt, quae igitur omitimus.

usu venit, statim apparet, formulam *δύναμις ὑψίστου* respondere τῷ πνεύματι ἁγίῳ. Altera igitur alteram explicat, et idem designat utraque, nempe Divini Spiritus efficacitatem illam atque *ἐνεργείαν*, quae, hac in re, singulari prorsus ratione se ostendit. Sed majoris jam momenti est, quaerere, quid nostro loco tribuatur τῇ δυνάμει τοῦ ὑψίστου? Respondet huic quaestioni Angelus, πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι. Hae quoque duae formulae se invicem explicant, idemque significant; qui vero inde efficiunt, his nil nisi inanem tautologiam contineri, parallelismi veram rationem parum perspiciunt. Illud *ἐπέρχεσθαι* non solum *inopinatum*, sed etiam *coelestem* et *supraturalem operationem* indicare videtur. De voce *ἐπισκιάζειν* in duas potissimum partes abeunt interpretes. *Alter* verbum accipit de tutelâ atque curâ divinâ, quae Mariam ab omni periculo atque injuriâ tutam redderet. Sic conveniret τὸ ἐπισκιάζειν cum Hebraeorum קַנָּה, quod LXX. subinde per *ἐπισκιάζειν* reddiderunt, e. g. Ps. XCI: 4. Ps. XVII: 8. *Alter* phrasin explicare jubet de divinâ *ἐνεργείᾳ*, qua e Mariâ virgine, mirificâ prorsus ratione, οὐκ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς, hominum Sospitator sit procreatus. Posterior nobis placuit interpretatio, quippe totius narrationis indoli conveniens, et voci oppositae *ἐπελεύσεται* magis respondens. Per Euphemismum vox *ἐπισκιάζειν* de *conjunctione tori* accipitur. Cf. Ruth. III: 9. Fortasse e longinquo alluditur ad locum Gen. I: 2. דָּחַ אֱלֹהִים עַל-פְּנֵי הַמַּיִם (Cf. Deut. XXXII: 11, ubi LXX. vocem *σκέπασαι* praetulerunt). Metaphora ducta est vel

ab avibus, pullos excludentibus (quod in primis THEOPHYLACTO et GROTIIO placuit), vel a Cherubis, arcum foederis alis obtegentibus, vel potius a nube, tabernaculum circumdante, in signum praesentiae summi Numinis (vid. Exod. XL: 32. Cf. Luc. IX: 34.), quae sententia ex antiquioribus CARPZOVIO, e recentioribus DE WETTIO placuit (1). Quidquid est, hunc esse sensum totius formulae acriter defendimus: per singularem Spiritus Divini efficacitatem, tu, intacta et illibita virgo, filium concipies. Caeterum hîc subsistendum. De modo conceptionis, de vero ejus temporis puncto, aliisque de rebus futilibus, multa temere disputarunt Theologi saeculi XVII. Quorum judicia, quamvis ex aevi ratione explicanda et excusanda, subinde tamen ita temeraria et inhonesta evaserunt, ut pudeat taedeatque ea referre (2). Propter hunc tamen abusum ipsam rem rejicere, imprudentis atque audacis foret; quapropter illi quoque nobis vituperandi videntur, qui, perversâ aut laxâ interpretatione adhibitâ, verum verborum sensum infringere conati sunt, ut ita huic loco omnem probandi vim, nostrâ in re, denegare possent. Unam alteramve harum iuterpretationum hîc dijudicare, haud abs re erit.

Si responsum Angeli cum Mariae verbis, sect. 34., conferimus, continuo nobis persuasum est, hoc sibi vo-

(1) Cf. DE WEITE, *Exeg. Handb.* I, 2. p. 13.

(2) Nonnullae harum sententiarum vidd. apud P. SCHUTTE in *Dissertatione de obumbratione virtute Altissimi*, e Luca I: 35. (1665), et in *Dissertatione Academicâ de βίβλω γενέσεως*, quam defendit A. T. PAULSEN (Rostochiae 1724), in primis. p. 44.

luisse legatum divinum, ut virgini explicaret, quomodo. *καίπερ ἀνδρὰ οὐκ ἐγνώσκειν*, vel sic tamen filium pareret. Callide vero hoc negat WALTERUS (1), qui putat, haec verba rationem reddere, quomodo ex illà, *pauperi atque ignotà* virgine, quin e stirpe tam ignobili, tam excelsus ac sublimis rex nasci posset. Sed tum verba Angeli non responsum continerent ad Mariae quaestionem, sect. 34. Ibi enim non adeo pauperis puellae, quam generosae virginis sermonem audimus. Nec statim illam JOSEPHUS in matrimonium duxit post Angeli verba, sed continuo ELIZABETHAM adiit MARIA, ibique per tres menses est morata (vid. sect. 39. et 56.). Imo ipsius ELIZABETHAE verba, sect. 43-45, explicari non possunt, nisi de graviditate MARIAE, quae extraordinariâ plane ratione exstiterat.

Doctiori fundamento niti videtur alia quaedam loci nostri interpretatio, quae in Hebraïzante N. T. loquendi ratione praesidium quaerens, dictionem, sect. 35., Grammaticè ita explicare studet, ut omnis mirificae rei species amoveatur. Primus eam, quoad mihi saltem innotuit, proposuit *Anonymus* quidam, quem plurimi alii

(1) In Opere: *Schriftmässiges Beweis, dass JOSEPH der wahre Vater CHRISTI sei.* pag. 33 sqq. Plane arbitraria quoque est SCHLEIERMACHERI conjectura (*über* LUCAS, p. 26), qui putat, sermonem Angeli per Mariae quaestionem sect. 34. abruptum fuisse, atque igitur sect. 35. proprie ad sect. 31-33. pertinere, neque responsum ad hanc quaestionem continere. Quod si concedas, certe nostro loco non amplius vestigium remanet mirificae conceptionis; sed parum quoque intelligitur, qua tandem ratione sect. 35. cum sect. 33. cohaerere possit.

mox secuti sunt (1). Huc redit: Judaei, rem ita sibi informabant, ut unumquemque sanctum virum e Spiritu S. natum crederent, qui Spiritus nimirum vi suâ parentum coitum adjuvaret. Quicumque igitur e puro patre puraque matre, justo matrimonio junctis, nascebantur viri praeclari, e Spiritu S. nati, imo filii Dei dicebantur. Hanc sententiam probare studet auctor, pluribus e libro SOHAR locis allatis, qui cum nostro loco vel majorem vel minorem convenientiam habent. Sed ni fallor, hoc testimonium parum valet. *Primum* enim, liber SOHAR longe recentioris est aetatis, atque, ut videtur, ad finem saeculi II referendus, neque igitur multum valet ad loquendi usum N. T. definiendum (2). *Deinde*, haec loca, ni fallor, emphaticum et poeticum referunt colorem, atque hyperbolicam dictionem, ad quam minime exigere licet LUCAE narrationem, propriam illam, sobriam, ac simplicem. *Denique*, tota narratio et MATTHAEI et LUCAE non ita est comparata, ut conjunctionem proponat inter virum atque foeminam, quae a Spiritu Sancto sanciat, sed ut omnem

(1) Vid. *Anonymus* in Diario SCHMIDTII, *Biblioth. für Kritik und Exeg. des N. T. und älteste Kirchengesch.* 1796. Tom. I. p. I. pag. 101. sqq.: *die Nachricht, dass Jesus durch den H. G. und aus einer Jungfrau geboren sei, aus Zeitbegriffen erläutert.* Cf. BERTHOLDT, *Christol. Judaeorum*, p. 86., et PAULUS, DE WETTE, *Fritzsche in Commentt. ad Matth. I: 18. et Luc. I: 35.*

(2) Vid. JOST, *Geschichte der Israeliten*, Tom. IV. L. 13 p. 52., qui anno 140—200. hunc librum conscriptum censet. Cf. ERNESTI, *Inst. Interpr.* P. III. cap. 8. § 5-7., qui plures cautiones exposuit, in harum scriptionum usu prudenter adhibendas.

virilem omnino excludat cooperationem (Matth. I: 18. Luc. I: 34.).

Neque interpretationis Grammaticae legibus magis satisfecit PAULUS, in *Comment.* ad h. l. Hic e Matth. I: 18. concludit, JOSEPHUM quidem Jesu patrem non esse, sed nequaquam alium virum excludendum esse censet; per πνεῦμα ἅγιον intelligit piam puramque MARIAE animi conditionem, atque δυναμὶς Θεοῦ, ex ejus sententia, non extraordinariam aut immediatam ἐνεργείαν divinam significat, sed omnem naturae facultatem, quam ex divinâ voluntate homines exercent, quae consilia sua exsequatur Deus. Hic igitur, qualis Jesu pater cogitandus sit, non significat. Unum hoc ei sufficit, Mariam gravidam evasisse, salvâ virginis animi atque imaginationis puritate. Modum non definit, sed sect. 29. verba ὁ ἄγγελος e textu eliminat, atque rem ita sibi fingere videtur, ut aliquis (1) ad Mariam intraverit, qui hunc nuncium ei afferret. Spem autem, fore ut Messiam gigneret, in ejus animo excitaverit fanatica ELIZABETHA, eo consilio, ut instar machinae cujusdam virginem politicis suis studiis inservientem faceret. Postea vero MARIA, quum gravida jam esset, auditâ visione ZACHARIAE (Luc. I: 12 sqq:), sibi ipsa persuaserit, anonymum illum nullum alium fuisse, nisi — Angelum GABRIELEM! Recte

(1) Recte observat STRAUSS, *Leben Jesu* I. p. 225. Ed. 3a., hoc *Grammaticae* minime procedere. Etiam si enim verba ὁ ἄγγελος, sect. 28., rejiciantur, tamen vox εἰσελθὼν nullum alium, nisi GABRIELEM, sect. 26., indicare potest. Sin vero alium hic cogitare deberemus, addi debuisset τίς.

tamen observat GABLERUS (1), tali rei effingendae rationi sensum religiosum jure repugnare: quum ita Maria, etiamsi ei de verâ rei indole non constiterit, non alia sit dicenda, quam decepta et fanatica virgo; quid? quod haud video, quo nomine talis explicatio differat a Judaeorum calumniationibus, Jesum adulterio procreatum esse contententium.

Inferiore etiam loco habemus aliam quamdam interpretationem (2), quae brevissime huc redit. Fanaticus quidam vir, qui forte etiam putaret, tali ratione Messiam procreari debere, Mariam adiit, et ab illâ, rei ignarâ, Angelus GABRIEL habebatur. Mysticâ formâ indutus, favente caligine, externâ formâ, opportunitatê, astutiâ in primis, consilium est assecutus, gravidamque eam reliquit. Maria autem, Spiritum Sanctum vel aliam quamdam sublimem personam eum habens, concepit, et tamen pura mansit (3). De facinoris auctore quaerentibus, JOSEPHUS ARIMATHAEENSIS proponitur, quod probatur e peculiari benevolentia, qua Jesum semper, publice docentem, prosecutus sit hicce vir. Inanem, absurdam atque impiam sententiam nos non refutabimus: destituta enim est omni argumento. Alia (4) ejusdem

(1) In Diario, *Neueste Theol. Journal*. T. VII. P. IV. p. 407 sqq.

(2) Eam proposuit auctor libri, *Natürliche Geschichte des Profeten von Nazareth*; neque eam plane rejicit PAULUS, in *Comment.* ad h. l. Ed. 1a.

(3) Quod fieri posse, probat ex analogâ narratione apud JOSEPHUM A. J. XVIII: 4. de MUNDO quodam, qui Romanam matronam PAULINAM stupraverat, sub formâ Dei Aegyptiorum ANUBIDIS.

(4) E. g. BARDTH, qui (*Briefe über d. Bibel*. Ep. 8 et 11) Ma-

generis referre nos taedet. Laudatae interpretationes satis superque probant, quam stulti fiamus, si sapere velimus οὐκ εἰς τὸ σωφρονεῖν (Rom. XII: 3), inprimis vero, quam multa miranda sint sumenda, anteaquam omnia miracula e Codice sacro removerimus.

Jam vero, ut redeat unde exorsa est oratio, nos vexatissimae atque difficillimae sectionis interpretationem ad exitum perducamus, et paucula subjiciamus de formulâ finali, διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἁγίου, κληθήσεται υἱὸς Θεοῦ. In antecessum tamen monendum est, verba ἐκ σοῦ, Codicum auctoritate, locum tueri non posse; unde jure ea rejecit MILLIUS. Neque sensus mutatur, utrum verba serves an vero omittas. Vox causalis διὸ indicat, Mariae filium *propterea*, quod e Spiritu nasciturus esset, Θεοῦ υἱὸν vocatum iri. Ab hoc loco alienum prorsus foret, de nomine υἱὸς τοῦ Θεοῦ, varioque ejus usu, multa disserere. Nobis quidem haec ratio simplicissima videtur, quae hujus denominationis vim h. l. ab extraordinariâ Christi nativitate repetit. Prouti igitur ADAMUS, Luc. III: 38. ab ipso summo Numine immediate originem repetens, υἱὸς Θεοῦ jure dicitur, ita JESUS etiam h. l. Vox ἁγίου autem substantive sumenda videtur, ut designet *sanctum illud, quod nascetur*. Ille igitur, qui e Mariâ, purâ virgine, nasceretur, purus sanctusque esset, et propter mirificum ortum, Dei filius jure dicendus.

Sect. 36. Legatus Divinus insuper aliquid addit, ad

riam deceptam puellam habet, atque angeli apparitionem ejus imaginatione tantum exstitisse diserte contendit.

Mariae fidem confirmandam: καὶ ἰδοὺ, Ἐλισάβετ, ἡ συγγενὴς σου, καὶ αὐτὴ συνειληφῆσα υἱὸν ἐν γήραε (sive, quod plures testes habent, γήρει) αὐτῆς· καὶ οὗτος μὲν ἔκτος ἐστὶν αὐτῇ τῇ καλουμένῃ στείρα. Non certo constat, quonam affinitatis gradu ELIZABETHA Mariae fuerit συγγενῆς. Illa enim erat (prouti e sect. 5. scimus) ἐκ τῶν θυγατέρων Λαβὼν. Alii ita rem sibi proponunt, ut Mariae mater e tribu LEVI fuerit; alii ipsam Mariam ad hunc tribum referunt. Mihi tamen nulla hac in re causa apparuit idonea, quare de Mariae origine Davidicâ dubitarem. Etiam si enim Maria e tribu JUDA oriunda esset, vel sic tamen ELIZABETHA ejus συγγενῆς esse poterat. Diversi enim tribus invicem connubiis jungi poterant (1). Neque locus Num. XXXVI: 6. nobis aliquam molestiam creat, quippe qui agit tantummodo de virginibus ἐπικλήροις, quae, patre mortuo, ejus possessionum haeredes erant, et, hujus haereditatis causâ, in suo tantum cujusque tribu, imo in suâ cujusque familiâ, in matrimonium duci poterant. Sed ipsa haec lex, quae exceptionem continet, sponte declarat, caeteroquin diversos tribus invicem connubio misceri potuisse. Ne vero nos torqueamus in quaestione, quae nostrâ cum re non immediatam habet conjunctionem, missam hanc rem faciamus. Id tantum observare liceat, nullam rem excogitari potuisse, quae Mariae fidei incrementi plus adderet, quam exemplum illud domesticum, quod illi jam proponebatur. Quae enim ELIZABETHAE contigerant, miraculum fere ei appa-

(1) Vid. MICHAELIS, *Mos Recht.* II. p. 201. sq.

rere debebant. Quid a tali Deo ei expectare non liceret? Profecto, postquam talia enarrasset, jure ita orationem concludere poterat Angelus: (sect. 37.) *ὅτι οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τοῦ Θεοῦ πᾶν ἔργον.* (i. e. per Hebraisimum *ἀδυνατήσει οὐδὲν ἔργον.* Vid. Gen. XVIII: 14. Matth. XIX: 26.) Nil ejus potentiam superat: *καλεῖ τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα.* Rom. IV: 17.

Divinae hujus omnipotentiae cogitatio omnia dubia e Mariae animo extirpare omnesque objectiones averruncare debebat. A piâ virgine, huic potentiae confidente, nil aliud expectare potuissemus, nisi illud: (Sect. 38.) *Ἰδοὺ, ἡ δούλη Κυρίου, γένοιτό μοι κατὰ τὸ ἔρημά σου.* Quo audito submissae, confidentis, obedientis virginis enuntiato, *ἀπήλθεν ἀπ' αὐτῆς ὁ ἄγγελος.*

Quoad eius fieri potuit, utramque narrationem brevissime explicare studuimus. Qua in re ita versari mihi proposui, ut ea tantum, quae ad nostram quaestionem maxime attinerent, uberius exponerem, caetera vero, quae minorem cum ipsâ conjunctionem haberent, obiter tangerem. Non adeo longas doctasque disquisitiones instituere, sed disquisitionum fructus cum lectoribus communicare conatus sum. Nam propositi ratio non hoc secum ferebat, ut commentarium perpetuum omnibusque numeris absolutum conscriberem, sed ut fundamenta ponerem, principiaque constituerem, quibus niteretur nostra disputatio. Id enim jam nobis, ope interpretationis Grammaticae, apparuit, MATTHAËUM pariter atque LUCAM, aut quicumque nostrarum pericoparum auctores sint, rem ita sibi informasse, ut optimum Sospitorem, vi

Spiritus Sancti, e Mariâ virgine natum cogitaverint. Eo quoque nomine Rationalismi vulgaris interpretationes nugosas improbare studuimus, quippe verborum sensum violantes, atque non veri nominis *interpretationem* continentes. Nostrâ enim aetate, quae de horum commentorum inanitate pronunciavit (1), non opus videbatur, in hac disputatione peculiarem locum iis designare. Argumenta, quibus perversa rei nostrae nititur interpretatio, si alicujus sint momenti, mox sumus tractaturi. De narrationum igitur sensu jam nobis constat, hunc autem sensum utrum accurate exposuerimus, propositoque satisfecerimus, dijudicent peritiores.

(1) Vid. HASE, *Theologische Streitschriften*, I. p. 37.

PARS II.

ARGUMENTI, QUOD EXPOSITIS CONTINETUR NARRATIONIBUS,

VINDICATIO.

Narrantes audivimus Euangelistas de rebus, quae JOSEPHO atque MARIAE ante Christi natales evenerunt. Verborum interpretatio nos docuit, id egisse scriptores sacros, ut Jesum proponerent e virgine MARIA, per Spiritum Sanctum, natum. Illorum enim testimonio fides nostra, huic rei habenda, unice nititur. Procedere nobis jam licet ad hujus rei probationem atque defensionem. Ad quem finem assequendum, duplex potissimum pensum nobis peragendum videtur. *Primum* enim inquirendum est, qualem auctoritatem his narrationibus in nostrâ re exponendâ tribuere debeamus, *deinde* vero audiendae, ponderandae atque refutandae sunt objectiones, quae contra ipsum, quod his narrationibus continetur,

argumentum, proferri possint soleantque. *Priore* igitur hujus Partis Capite *fundamentum* rei *historicum* jaciemus et confirmabimus, *posteriore* vero *difficultates* e medio tollere studebimus. Prius haud inepte rei Apologiam *Positivam*, posterius *Negativam* vocabimus; ab utraque igitur parte rem spectemus.

CAPUT PRIUS.

FUNDAMENTUM HISTORICUM SENTENTIAE NOSTRAE.

(APOLOGIA POSITIVA).

Variâ ratione impugnata est auctoritas, quam nos expositis narrationibus tribuimus, in quaestione de mirificâ Jesu origine solvendâ. Alii enim MATTHAEI et LUCAE capita duo priora in *νοθείας* suspicionem adduxerunt, a seriore manu has narrationes profectas esse dicentes. Alii, recentissimâ nostra aetate, Mythos easdam habuerunt, omni indole historicâ destitutas. Alii denique, fidem historicam Euangelistarum, quamvis de Jesu ortu relationem veri nominis tradentium, in dubitationem adduxerunt. Ut igitur nobis constet de vi atque auctoritate testimonii historici, quod de Sospitatoris primordiis edunt Euangelistae, agendum nobis erit *cum* de narrationum nostrarum *authentiâ*, *tum* de earum *indole vere historicâ*, *tum* vero etiam de earumdem *ἀξιοπιστιᾷ*.

SECTIO I.

NARRATIONUM AUTHENTIA (1).

A nobis quidem nullo jure id exigi posse videtur, ut quaestionem de authentiâ Capitis I et II MATTHÆI atque LUCAE fuse pertractemus. Quod si enim omnia, quae hîc in censum veniant, quaeque cum hac quaestione majorem minoremve conjunctionem habeant, exponere vellemus, de hac re peculiaris quaedam Disquisitio instituenda et conscribenda esset. Ea tantum attingemus, quae et hujus Disputationis limites permittunt, et nostro consilio maxime conveniunt. Neque opus est, hanc quaestionem copiose persequi: nam, quae in fine saeculi praecedentis maxime agitata fuit, nunc fere ad finem perducta esse videtur. Ab iis enim, qui nostrae sententiae minime favent (2), hodie id conceditur, nullam justam quidem ob causam, nostra Capita in *voðelus* suspicionem adduci posse. Nisi igitur eos excipere velis, qui, recentissimâ aetate, de totius MATTHÆI authentiâ dubia protulerunt, unanimi consensu inter omnes hodie constat de nostrarum narrationum authentiâ. Verumtamen, quandoquidem haec quaestio nostrâ cum re indivulso nexu conjuncta est, atque ad hanc impugnandam olim plurimum invaluit, religioni duximus, eam prorsus intactam relinquere. Paucis igitur in medium prolatis, hoc munere defungamur.

(1) Vid. GRIESBACH, in *Comment. critico*. Parte II.

(2) E. G. HASE, *Leben Jesu*, § 31 initio.

Ad finem vergente saeculo praecedente, exstiterunt WILLIAMSIUS et EVANSONUS, qui primum, quoad mihi innotuit, Capita duo priora Evangelii MATTHAEI et LUCAE spuria dixerunt. Hos autem alii secuti sunt, alii, iique numero majores, refutarunt (1). Multifariâ ratione utriusque sententiae auctores rem suam egerunt, atque eo quidem eventu, ut hodie de authenticâ horum Capitum sat firmis constet argumentis.

Argumenta enim externa horum Capitum authenticam omni dubio majorem reddunt. De MATTHAEO si quaeris, Capita I et II in omnibus omnino Codicibus inveniuntur (2). In latinis autem Codicibus unus tantum (1775 *Harlejanus*) invenitur, saeculo VI aut VII conscriptus, ut videtur, ubi, brevi spatio interjecto, Genealogia Christi, sect. 1-17., a caeteris sejuncta est, additâ inscriptione: *Genealogia hucusque. Incipit Evangelium secundum MATTHAEUM*; quae autem verba, monente GRIESBACHIO, a recentiore manu profecta esse videntur. Laudantur porro varia ex his Capitibus loca a patribus antiquissimis, ab IRENAEO (*adv. Haer.* III. c. 9.), a TERTULLIANO (*adv. Haer.* V: 9.), item a CELSO; ne de JUSTINO MARTYRE dicam, qui in Dialogo cum TRYPHONE, c. 86, narrationem de *Magis*

(1) Nil attinet, hic aut utriusque sententiae patronos et adversarios, aut operum titulos describere. Exstant apud KUINOELIUM in *Prolegomenis ad MATTHAEUM et LUCAM*, et apud BRETSCHNEIDERUM, *Systematische Entwicklung* u. s. w. pag 565. Ante WILLIAMSIUM eandem sententiam jam proposuerunt WALLIUS et MICHAELIS, in *Introitu ad N. T.* Tom. II. p. 239, 242.

(2) Etiam in Codice *Ebneriano*; vid. GRIESBACH, l. l. p. 48.

Orientalibus ita exposuit, ut luculenter ostendat, se MATTHAEI narrationem procul dubio novisse (1). Ex Evangelio autem *Naziraeorum* atque *Ebionitarum* nihil potius depromserim ad Capita nostra *vel* defendenda *vel* rejicienda. Ab alterâ enim parte, de illorum Evangeliorum origine, indole, et nexu cum nostro MATTHAEI Evangelio pauca certo constant (2), ab alterâ vero, nondum probarunt adversarii, in *Naziraeorum* certe Evangelio Capita nostra desiderari. Quod autem *Ebionitae* nostra Capita omittunt, id facile ex eorum de Jesu homine cogitandi ratione explicatur. Quomodo vero e MARCI silentio aliquid concludi liceat in hac quaestione, parum equidem intelligo, nisi *vel* MARCUM MATTHAEI epitomatores fuisse, *vel* potius eum, quo tempore suum conscriberet, MATTHAEI Evangelium cognitum habuisse, luculenter probaveris.

Idem argumentorum externorum consensus initium Evangelii LUCAE tuctur; nam quod in MARCIONIS Evangelio desiderantur Capita I et II, hoc nihil valet. Etenim si MARCIONEM hac in re duces sequi velis, item Cap. III et IV: 1-31. rejicienda essent, quae tamen omnium

(1) Ad quaestionem, utrum JUSTINI ἀπομνημονεύματα eadem fuerint cum nostris Evangelis, cum WINERO («JUSTINUM MARTYREM *Canonicis* «*Evangg. usum fuisse ostenditur*» Progr. Lipsiae. 1819), et HUGIO (*Einführung ins N. T.* II. p. 99. Ed. 3) affirmando respondendum videtur.

(2) Praecipuas sententias de his Evangelis, eorumque nexu cum nostro MATTHAEI libro, annotavit KUINOEL in *Prolegg. ad MATTHAEUM*, pag. 35. De causâ, quare TATIANUS, in opere suo *Διατεσσαρῶν*, MATTHAEI genealogiam, caeteraque, quae Jesu originem Davidicam spectarent, omiserit, vid. KUINOEL, *ibid.* p. 37.

consensu retinentur (1). Et si probari posset, LUCAM ex *Evangelio* quodam *infantiae Jesu* haec Capita recepisse, exinde multum redundaret quidem ad ejus narrationis fontes constituendos, nil vero ad hujus authenticam impugnandam. Quod vero ad MATTHAENUM attinet, dicta, ut spero, satis demonstrant, haec Capita ab initio inde pertinuisse ad illud, quo nos uti solemus, Graecum MATTHAEI Evangelium. Hic autem subsistendum. Etiam si enim demonstrari posset, MATTHAENUM has narrationes ex *Evangelio* quodam *nativitatis Jesu* hausisse, inde minime sequeretur, ipsa haec Capita spuria esse; nunquam enim probari posset, ex hujusmodi fonte haec Capita, *aliena manu*, nostro MATTHAEI Evangelio addita fuisse. Quidni autem MATTHAEO licuisset, ex fontibus, de quorum puritate sibi persuasum habebat, nonnulla in suos usus convertere?

Nec majori jure argumenta *interna* afferuntur ad Capitulum I et II. Evangelii MATTHAEI et LUCAE authenticam dubiam reddendam (2). In antecessum autem breviter exponamus, quid nobis videatur de argumentorum internorum vi atque auctoritate, ad nostrum de locorum authenticam judicium regendum. Summam prudentiam opus esse videtur, ne iis majora, quam par est, tribuamus. Quum enim, a SCHLEIERMACHERI inde tempore, idealistica recentissimae aetatis ratio ad argumenta externa negligenda, interna vero unice urgenda conducat, nobis id agendum vide-

(1) Vid. KUINOEL, *Prolegg. ad LUCAM*, § 6.

(2) Excepto tamen loco Luc. I: 1-4, quem agnoverunt ii etiam, qui duo Capita Evangelii LUCAE priora in dubitationem adduxerunt.

tur, ut aliorum hac in re naufragiis ipsi cauti tutique reddamur. Modeste, quid nobis velimus, proferamus. Quaestio de cujuscunque libri authentiâ historica plane est, atque adeo *testimoniis* maxime conficitur. Argumenta vero interna *subjectivae* q. d. prorsus sunt indolis, ita ut eadem res alterum facile ad locum aliquem rejiciendum ducat, alterum cogat ad eundem tuendum (1). Incertos igitur talia nos relinquunt argumenta, et, prouti e Scepticâ ratione orta sunt, ad Scepticismum necessario ducunt. Si enim a Criticâ altiore aliquid bonae frugis sperare licebit, tum demum id obtinebit, si non tantum destruendo, verum etiam construendo et aedificando procedat. Quod tamen minime in vituperium dixerim virorum illorum clarissimorum, qui, nostrâ maxime aetate, argumentis internis multum tribuendum esse censuerunt. Id tantum mihi volo, haec argumenta non primo, sed secundo potius loco esse ponenda et aestimanda. Multum omnino valent ad narrationum fidem historicam vel confirmandam, vel impugnandam, sed, in quaestione de authentiâ, prae caeteris omnibus, vim habere debet Codicum atque testium auctoritas: quibus unanimi voce locum tuentibus, haud facile inducamur oportet, ut internis unice nitentes argumentis hoc testimonium rejiciamus. Quod nisi observemus, omnia mox fluctuabunt: et quod scriptum alius quisquam, propter argumenta interna, intactum reliquerit criticus,

(1) Cf. THOLUCK, *Glaubwürdigkeit der Ev. Gesch.* p. 116-120, qui, variis exemplis adductis e Criticâ, tum sacrâ, tum profanâ, ostendit, quam incertum sit judicium, quod internis unice vel maxime argumentis nitatur.

ab alio mox, easdem ob causas, e librorum sacrorum catalogo eraditur.

Quae paulo fusius hac de re disputavimus, non iccirco urgemus, quia *internis* argumentis Capita nostra jure in dubitationem adducuntur, sed quia quaestionem hancce, argumentis maxime internis allatis, tractarunt adversarii. Ita vero, quod recte observat OLSHAUSENIUS (1), quodammodo videri poterant rerum, quae his Capitibus continentur, ἀξιοπιστίας jure denegare, non vero ipsorum Capitum ἀψευδίας. Quod autem ad singula eorum argumenta attinet, derivantur *primum* ex harum narrationum *stilo*, quem in his Capitibus diversum esse a reliquis Euangeliorum binorum partibus advertebant. Nec tamen exinde jure concludunt, ipsa haec Capita spuria esse dicenda. De MATTHAEO certe tam dilucide GERSDORFIUS stili convenientiam per totum Euangelium probavit, ut ad hunc facile lectores ablegemus (2). De LUCA certe nil inauditi protulerunt adversarii, nam ERNESTUS jam movit (3): «LUCAS, qui puritate
«caeteris praecellens putatur, innumera habet Hebraica,
«estque integrum Euangelii initium I: 5. sqq. tanto-

(1) In *Commentario ad 4 Evv.* Tom. I. p. 77.

(2) Vid. GERSDORF, *Beiträge zur Sprachcharacteristik der Schriftsteller des N. T.* p. 38. Cf. et CREDNER, *Einl. in dass N. T.* I. p. 63 sqq. Jure tamen, ut videtur, e GERSDORFII argumentis nonnulla eliminanda censet J. C. A. FRITZSCHE in *Excursu III. ad Comment. in Matth.* p. 849. «*Epimetron ad Matthaei Capita I et II. aliis argumentis, non singulis vocibus rimandis, et cum caetero Matthaei sermone conferendis, defendenda.*»

(3) Vid. *Inst. interpr. N. T.* p. 43.

«pere Hebraicum, ut ex illâ linguâ ad verbum ver-
 «sum videri possit. Peculiaris haec scribendi ratio ma-
 «xime refertur ad Lucae I: 5. — II: 39., quamvis et in
 «pericopâ II: 40 - 52. plures adsint Hebraismi, quam
 «quidem in caeteris hujus Evangelii partibus.» Neque
 is ego sum, qui dicendi rationis discrimen adesse negem.
 Sed jure tamen quaeri posse videtur, an non justo teme-
 rius sit, exinde statim ad *ροθελιας* accusationem transi-
 lire, quamdiu quaestio de fontibus hujus narrationis
 nondum sit confecta? Uberiorem autem hac de re dis-
 putandi opportunitatem praebebit de narrationum ἀξιο-
 πιστιᾱ disquisitio. Hoc tantum hîc animadvertimus,
 si vel e laudato discrimine sequeretur, non *ipsi* LU-
 CAE primam originem debuisse haec Capita, hoc tamen
 nil contra horum authenticam probare. Nequaquam absur-
 dum foret statuere, ipsum LUCAM haec Capita, aliunde
 prolata, suos in usus convertisse, atque in Euangelium
 suscepisse. Quid? quod convenientiam adesse inter
 horum Capitulorum atque totius Euangelii dictionem idem
 GERSDORFIUS luculenter probavit (1).

Sed non solum e stili diversitate deprompta sunt argu-
 menta interna, quibus haec Capita in *ροθελιας* suspicio-
 nem adduci posse arbitrantur nonnulli. Ex ipsis quoque
rebus, quae illis continentur, captum nostrum atque natu-
 rae ordinem, imo omnem veri speciem plane superantibus,
 nec non e *discrimine*, inter MATTHAEI atque LUCAE
 narrationes intercedente, ratiocinati sunt. Sed, si quid
 video, tales objectiones, fortasse iudicium de harum

(1) l. l. p. 160. Tom. I.

narrationum fide historicâ, aut de earum verâ explicandi ratione regere possunt, non vero eo valent, ut locum, cujus authenticam argumenta externa, omni dubitatione majora, vindicaverint, spurium declarent. De ipsâ igitur re, ad quam provocant adversarii, infra magis commode disquisitionem instituemus.

Jam vero ulterius progredi licet, atque, prostratis adversariorum objectionibus, alia addere, quae pro horum Capitum authenticâ pugnent. Internis eorum argumentis interna opponamus. Quoad stilum, rem confecit GERSDORFIUS. Sed haec etiam teneamus (1). MATTHAEI ubique cernimus consilium, ut Jesu Messianam dignitatem vindicet: quem in finem vaticinia e V. T. undique depromsit. Sed haud aliam probandi rationem instituit nostris Capitibus, I: 22. II: 17, 23. Somnia in his Capitibus memorantur, quibus hominibus sua consilia aperuit Deus; idem vero MATTHAEUS, haec tradens, solus somnium extraordinarium narrat uxoris PILATI (Matth. XXVII: 19.). Porro, initium Capitis III, ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις κ. τ. λ. ejusmodi se habet, ut totius libri initium esse nequeat. Imo, loco Matth. IV: 13. haud obscure alludi videtur ad ea, quae Cap. II: 23. relata videmus. Quod si Angelorum apparitiones alicui molestiam creant, quae in LUCAE Capite I et II. occurrunt, certe contra haec Capita nihil probant: nam in neutro, quem LUCAS conscripsit, libro desiderantur (2). Neque de Capitem authenticâ dubius quis hae-

(1) Vid. GRIESBACH et KUINOEL. l. l.

(2) Vid. Luc. XXII: 43. XXIV: 4. Act. I: 10. V: 19. VIII: 26. X: 3. XII: 7. 22. 23. XXVII: 23.

reat, qui LUCAM ipsum, Act. I: 1. τὸν πρῶτον, ejus λόγον restringentem audiat ad ea, ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν: vel, ab Apostolo rite creato, (ibid. sect. 22.) cognitionem requirentem de Christo ἀρξαμένῳ ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος τοῦ Ἰωάννου. Quidni enim LUCAE hanc veniam concederemus, ut et a parte potiore libri titulum conscribat, et, παρηκολοθηκῶς ἀνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς, etiam haec nobiscum communicet, quae Christi primordia proxime spectent?

Quae brevissime disputavimus, de horum Caputum authentiâ sufficient. Concinnò conspectu exponere studui, quam firma sint argumenta, quibus nostra nitatur persuasio. Quod si insuper teneamus, hac de re neminem fere ante saeculum XVIII dubitasse; sententiam vero illam increscenti Deismo ac Naturalismo maxime originem debere; subjectivo autem in primis eam niti fundamento; et propterea multis summopere placuisse, quia ansam praebere videbatur ad extraordinariam Christi originem impugnandam: haec, inquam, tenentibus facile nobis constabit de pretio, quo habenda sint dubia de Capp. I et II. MATTHAEI et LUCAE authentiâ.

SECTIO II.

NARRATIONUM INDOLES VERE HISTORICA.

Probata autem narrationum authentiâ, nondum constat de firmitate fundamenti historici, cui superstructa est fides nostra, extraordinariae Christi origini habita. Quamquam enim haec authenticia a plerisque nostro tempore

admittatur, narrationem tamen, quae his Capitibus continetur, a vero maxime abhorrere multi contendunt. Eorum igitur nobis jam exploranda est sententia, qui nostro argumento indolem historicam denegant, totamque rem Mythis accensent.

Quod tamen nemo a STRAUSSIO primum inchoatum putet. Ad summam quidem ἀλήθειαν perduxit ille opinionem de Mythis, per universam Christi historiam obviis, neque tamen, nostrâ certe in re, hanc laudem meruit, ut aliquid, si non veri, novi saltem atque inauditi protulisse jure dicatur. Ipso enim narrante, (1) antea jam exstiterunt plures, inter hos HORSTIUS, BAUERUS, GABLERUS, ROSENMULLERUS, alii, qui traditionem de pueritiâ Christi, magno discrimine, distare contenderent a vitae publicae historiâ, quique, hanc firmiter tenentes, illam Mythis historicis adscribere nulli dubitarent. Urgebant hi in primis testium defectum, rei indolem, angelorum mentionem, nostrae rei cum affinibus Theogoniis convenientiam, aliaque argumenta. Horum autem vestigiis incessit, principia excoluit, argumenta composuit STRAUSSIUS. Is igitur nostram narrationem diserte *Mythum* dixit, i. e. ipso definiente «involucrum historicum ideae antiquae «Christianae, sensim et sine doli studio fictum (*Geschichtartige Einkleidung urchristlicher Ideen, gebildet in der absichtlos dichtenden Sage.*)»).

Ejusmodi *Mythum*, materiâ *philosophicum*, formâ *historicum*, in nostrâ nequaquam cerni narratione, jam nobis commonstrandum est. STRAUSSIUM enim si audis,

(1) Vid. STRAUSS. I. I. I. p. 44, 47, 57-59. Ed. 3.

nostrae narrationes nil continent, nisi pium figmentum Ecclesiae primaevae Christianae, quo Sospitorem majore gloriâ ornare, splendoreque summo, undique collato, sanctissimum illud caput collustrare voluerint primi Christi cultores: ita vero collustrare, ut jam nobis, demtâ istâ traditionis fabularumque luce, in tenebras omnia redeant, imo densâ nocte caligineque premantur. Quod si verum est, certo sententiae nostrae valedicendum erit. Neque est, quod diffiteamur, nostrae rei vindicationem majore premi difficultate, quam caeterarum vitae Christi partium. Pertinet enim nostra historia ad ejus vitae periodum *ante-historicam*; quaeque hîc nos impediunt difficultates, non solum historicae sunt, sed et physicae indolis. Neque absurdum foret, originis Christi historiam, quasi per repercussionem splendoris, publicam ejus vitam cingentis, miraculorum fabellis ornatam, aut potius traditionum nebulis offusam fuisse. Qua re sine dubio commoti, plures, qui caeteroquin a STRAUSSII partibus stare nollent, tamen fidem, nostrae historiae habitam, lubenter missam fecerunt (1). Quum vero ipse STRAUSSIUS (2) illos parum sibi constare dicat, qui pueritiae historiam Mythice, caeteram vero proprie accipiant, nobis omnino videndum est, ut hanc «*portantam splendentem*, quâ in Christi vitam Mythi in-

(1) Ita HASE, *Leben Jesu*. §. 32; KERN, *Hauptthatsachen des Leben Jesu* (in *Diario Tubing.* 1836. II. p. 39, 40.) STRAUSSII refutationem item restrinxit ad vitam Christi publicam.

(2) Vid. STRAUSS. I. I. I. p. 62, 63.

«trent, (1)» adversarii manibus eripiamus: ne *jus primae occupationis* sibi arroget STRAUSSIIUS.

Ut autem proposito satisfaciamus, optime procedere disputationem ratus sum, si *primum* probare coner, talis Mythi ortum nullâ causâ, satis probabili, explicari posse; *deinde* vero, in ipsis narrationibus nil inesse, quo ad Mythicam earum interpretationem refugere cogamur, contra *denique*, earum indolem *mere historicam* recte vocari.

§ 1.

*E nullâ causâ, satis probabili, hujusmodi
Mythi ortus explicari potest.*

Primi Christi cultores, monente STRAUSSIO, hoc in primis studio ducebantur, ut Sospitorem optimum majore in dies honore ornarent. Ex tali studio plurimi Mythi orti sunt, ortus est item Mythus de Jesu, singulari ratione e Mariâ virgine, per Spiritum Sanctum, nato. Quanam autem ratione eo pervenerint, ut hanc potissimum mirificam originem Christo adscriberent, si quaerimus, provocat STRAUSSIIUS *et* ad Messiae notionem, qua e V. T. vaticiniis imbuti erant, *et* ad vicinas V. T. historias, quae ad Christum transferebantur, *et* ad ejusdem generis historias de Diis Heroibusque gentilium. Ut Mythicam igitur rei nostrae explicatio-

(1) Ita (*Pracht-Thore des Mythus*) hanc historiam vocat HASE, qui maxime in vitae Christi *initio* atque *fine* mythos admisit. Vid. OSIANDER *Apologie des Leben Jesu*, p. 15.

nem, refutemus, primum nobis probandum est, e nullâ harum causarum, probabili ratione, hujus Mythi ortum explicari posse.

I. *Primum* igitur argumentum ex eo sumit STRAUSSIUS (1), quod extraordinaria vitae origo pertinuerit ad Messiae notionem, qua e V. T. imbuti erant Christiani, cujus igitur lineamenta, quicumque Jesum verum Messiam haberent, in eo agnoverunt. Quum enim Christus ipse, tanquam Messias, *Dei filius* diceretur (Ps. II: 7.), hunc non poterant non, divini oraculi memores (Jesaia VII: 14.), e Virgine procreatum atque a Deo generatum habere. Ita STRAUSSIUS. Quicumque eum refutarunt, in genere, recte hoc animadvertisse videntur, *et* Mythorum tale criterium plane arbitrarium esse, *et* Christi personam atque agendi rationem aequalium notionibus non congruam, sed oppositam fuisse, *et* tempore Jesu atque Apostolorum non unam eandemque Messiae expectationem exstitisse, cui ab omni parte satisfecerit Christus, sed varias vagasque invaluisse opiniones, imo parum definitam fuisse sperati Regis imaginem, cui, quae alii addebant lineamenta, eadem ab aliis adimebantur. Imo hac ratione N. T. Mythi infra Graecorum et Romanorum Mythologiam ponuntur, quam saltem, ingenio unice duce, nec tali analogiâ usi, excoluerunt poëtae. Quod vero ad nostram singulatim rem attinet, animadvertimus *primum*, loca significata nequaquam STRAUSSII sententiam probare. Locus certe JESAIÆ primo obtutu tam obscurus atque ambiguus videri poterat, ut eum haud

(1) l. l. Tom. I. p. 228. Ed. 3.

facile ad Messiam vulgares homines referrent. Nullus, de quo mihi constat, antiquiorum Judaeorum interpres de Messiâ locum explicat, sed contra a JARCHI, ABEN ESRA, KIMCHI, ABARBANELE, AQUILA, THEODOTIONE, aut ad HISKIAM, aut ad AHAZI vel JESAIÆ UXOREM refertur; unde et vocem מָלֵךְ per *reavîs* reddiderunt; quod et ipse STRAUSSUS, praeunte WETSTENIO, et haud repugnante SCHOETTGENIO (1), concedere debuit. Et si vel nonnulli ad Messiam locum retulerint, parum inde apparet, quo modo, ex uno hoc V. T. effato, tota narrationis origo repeti possit. Idem valet de loco Ps. II: 7., quem non ad Jesu originem extraordinariam, sed ad ejus resurrectionem e mortuis diserte referunt Apostoli (Vid. Act. XIII: 32, 33.). *Deinde* vero extraordinaria nativitas mihi non pertinuisse videtur ad spem, quam Judaei de Messiâ foverent; saltem hujus rei nullum vestigium inveni. Nullibi enim Judaeos mirantes audimus, e patre humano natum esse Christum, sed e familiâ eum tam ignobili existisse. Philippus autem Jesum *et* Messiam *et* Josephi filium dixit Joh. I: 46 (2). Nec mirum. In Hebraismo enim Monotheismus tantopere dominabatur, ut divinae cuidam, praeter ipsum Deum, naturae nullus relinqueretur locus (3). Messias quidem in V. T. proponebatur, tanquam rex Theocraticus, quem Deus elegit, unxit, et, more regum Orientalium, *וְיֹרֵם אֲבוֹתָיו* dixit: ad ideam vero characteristicam Reli-

(1) Vid. STRAUSS. I. p. 233.

(2) Quod ipse concedit DE WETTE, *Biblische Dogm.* § 200. p. 170.

(3) Vid. KNOBEL, *der Prof. der Hebr.* Bresl. 1837, T. I. p. 331, sq.

gionis Christianae, ideam dico *intimae conjunctionis divinam inter atque humanam naturam*, indole suâ nunquam escendere potuit Hebraismus. Neque serioris temporis Judaismus sibi veram Divinae naturae ἐνσαρκώσιν fingere potuit, quippe Emanationis doctrinae, Pantheismo et phantasticis notionibus indulgens (1). Opinio autem Judaeorum de Spiritu Sancto, ad piorum procreationem coöperante, seriori aetati est adscribenda, quod supra jam monuimus. Denique, si vel MATTHAEI hac de re expositio e tali fonte derivari posset, firma tamen maneret LUCÆ de eadem re sententia, qui ipse idem tradit, ampliore etiam ratione, quique tamen nec Judaicis opinionibus imbutus erat, nec in usum Judaeo-Christianorum Euangelium confecit; unde et ab eo vaticinium omissum videmus. Et si vel pauci fuerint, qui Messiae ortum e virgine expectarent, parum tamen intelligo, et quomodo exinde omnium fere Christi cultorum fides, huic rei habita, orta sit (2), et undenam utriusque Euangelistae narratio hanc potissimum formam acceperit (3).

II. *Hanc* narrationis formam dico. Sed fortasse, quod

(1) Quod contra STRAUSSIIUM recte observat NEANDER, *Leben Jesu* p. 10. Egregie rem exponit DÖRNER I. I. p. 15-28.

(2) Huc quoque pertinet WEISSII sententia (*Leben Jesu* Tom. I. p. 175.), putantis, historiam nostram ortam esse ex improprie dictis de Christianorum indole atque origine πνευματικῆ; quem acute refutat Cl. P. HOESTEDE DE GROOT, in peculiari de nostro argumento disquisitione (*Waarheid in Liefde*, 1839 I. p. 16.).

(3) Quid? quod ipsa Jesu verba, in Evang. Hebraeorum occurrentia: «modo tulit me mater mea, Spiritus Sanctus in uno capillorum meorum,» ostendunt, nostrâ certe formâ, hanc ideam de Messia non exstitisse.

STRAUSSIO placuit (1), ex *analogis V. T. historiis* magis commode nostrae narrationis origo explicari possit? Longe abest profecto. *Primum* enim nonnulla in nostris narrationibus insunt, quae ex hoc fonte derivari nullo modo possint. Ita e. g. JOSEPHI de sponsâ dubia, et MARIAE iter, mox susceptum, nullâ cum historiâ V. T. conveniunt. *Deinde* vero, magnum inter nostras historias atque ISAACI, ISMAËLIS, SIMSONIS natalitia occurrit discrimen (vid. Gen. XVI: 11. XVII: 19. Judic. XIII: 5.). In narrationibus enim, ad quas provocat STRAUSSIUS, non miraculum quoddam memoratur, quo virgo sine viri coitu filium parit, sed peculiare beneficium divinum, quo fiebat, ut uxor, adhuc sterilis, prolem in lucem ederet. Nos igitur cum STRAUSSIO non majorem gradum miraculi, sed longe aliud quid cernimus in historiâ hacce nostrâ. Si enim ad normam historiarum, in V. T. occurrentium, rem nostram finxissent Christi cultores, ita eam sibi informassent, ut JOSEPHO, propectâ jam aetate, e Mariâ adolescentulâ, filius promitteretur (2). Quod vero in primis observamus, Judaei matrimonium summo honore habebant, neque studia ascetica h. t. tantopere invaluerant, ut coelibatui magni quid tribueretur. Imo (3) numerosam prolem inter

(1) Vid. l. l. p. 195.

(2) Quod animadvertit NEANDER, l. l. p. 11., qui ad illud etiam provocat Josephi dictum, in *Protouang. JACOBI*. cap. 9., *νίους ἔχω, καὶ πρεσβύτης ἐμὴ, αὐτὴ δὲ νεωτέρα, μήπως καταγέλωσ γενώμαι τοῖς νίοις Ἰσραήλ*. Vid. THILO, *Cod. Apocr.* I. p. 208.

(3) HERDERUM si audias, (*zur Relig. und Theol.* Tom. XI. p. 193. Ed. in 12°.) « es ist ein ganz falscher fremder Begriff, inquit, dass eine dürre « kinderlose Ehe den Juden eine heilige Ehe gewesen; eben eine ver-

pecularia Dei beneficia habebant (Gen. I: 28.). Nostra igitur res Judaeorum notionibus his de rebus magis opposita, quam congrua erat: unde MATTHAEO, in Christianorum Palaestinensium usum, talia conscribenti facile fidem habemus. Porro, aliquam quidem convenientiam observamus, et in rei annuntiatione (Math. I: 21. Cf. Gen. XVII: 19.), et in ratione, qua dubia solvuntur (Luc. I: 37. Cf. Gen. XVIII: 14.). Sed haec qualiscunque convenientia ex personarum earumque conditionis similitudine facile explicatur, in primis vero ex eo, quod dubium de re eventurâ, humanumque captum longe superatura, nullo modo solvi posset, nisi provocando ad divinam omnipotentiam. Denique, historiam nostram cum nonnullis V. T. historiis similitudinem quamdam habere, nos quoque non negamus. Quod forte fortunâ sic accidere potuit, qua fit, ut, certo quodam praeterlapso tempore, naturae phaenomena redeant, et similibus similia respondeant. Verum enim vero divinum potius modera-
men in historiâ Sacrà hîc suspicere licet, quo, quaecumque caeteris magnis viris sub V. T. Oeconomîâ contigerint, majore etiam ac sublimiore ratione in Christi fatis factisque cernantur. Num Christo, instar

und zumeist die Mutter
 «achtete, verfluchte Ehe war sie. Selbst der Lobgesang der Mutter
 «Jesu war den Worten einer Unfruchtbaren nachgebildet, die jetzt
 «mit Triumph fühlte, dass sie Samuel geboren hatte. HANNA und MA-
 «RIA fühlten den Stolz ihrer Bestimmung, mit dem Segen ihres Schoos-
 «ses noch auf ferne Geschlechter zu wirken: die Denkart war, eben
 «des Messias wegen, der aus diesem Volke geboren werden sollte,
 «von den ältesten Zeiten her in dieser Nation verbreitet. Weder Gott,
 «noch Engel, noch Evangelisten waren — Mönche.»

Solis, τῷ ᾧ προὐ τοῦ κόσμου, Aurora non praecessisset? Haec igitur convenientia nostram fidem minime labefac-
tat, sed eandem multo magis confirmat, cum in divinâ
patefactione gradatio quaedam luculenter appareat, quâ
cum praecedentibus aliquatenus conveniat nostra res,
at simul illas longe superet (1).

III. Sed aliunde fortasse hujus Mythi originem repeten-
dam esse, efficere conatus est STRAUSSIVS, § 29. rem
nostram comparans cum profanae antiquitatis narrationi-
bus de clarissimorum virorum e virgine matre, deque
Heroum ex ipsis Diis immortalibus origine. Cui tamen
argumento plurima opponenda habemus. Non est, quod
ipsam antiquitatis mentem, ad quam STRAUSSIVS pro-
vocat, denegemus. Multae ejusmodi narrationes existi-
terunt, vario tempore confectae. Ita Aegyptii de APIDE
suo affirmabant, eum non pecoris coitu, sed divinitus
igneque coelesti conceptum esse. Graeci MINERVAM e
JOVE, e JUNONE VULCANUM natum dicebant; ne Indo-
rum VISCHNOU ac BUDDAM memoremus (2). Nec minus
de viris egregiis hoc circumferebatur. Ita Persae ZORO-
ASTRI sui natales ab Angelo matri esse annunciatas di-
xerunt. Quid plura? «Apud Gymnosophistas Indiae
«(HIERONYMI verbis utor) (3) quasi per manus hujus

(1) Dignissimus est qui de hac re legatur THOLUCK, *Glaubwürdigk.*
p. 55-60, cui addatur OSIANDER, l. l. p. 359, 360. Cf. et ULLMANN,
Hist. oder Mythisch? p. 69.

(2) Cf. ROSENMULLER, in GABLER'S *Journal für auserlesene theologi-
sche Litteratur* II. 2. p. 253. sqq. et HENKE, *Neues Magazin für Reli-
gionsphilosophie, Exegese und Kirchengeschichte* III. p. 365 sqq.

(3) *Advers. Jovin.* I. c. 26.

«opinionis auctoritas traditur, quod BUDDAM, principem
 «dogmatis eorum, e latere suo virgo generavit. Nec hoc
 «mirum de barbaris, cum MINERVAM quoque de capite
 «JOVIS, et LIBERUM patrem de femore ejus procreatum
 «doctissima finxerit Graecia. SPEUSIPPUS quoque, sororis
 «PLATONIS filius, et CLEARCHUS, in laude PLATONIS, et
 «ANAXILIDES, in secundo libro philosophiae, PERICTIONEM
 «matrem PLATONIS, phantasmate APOLLINIS oppressam
 «ferunt, et sapientiae principem non aliter arbitran-
 «tur, nisi de partu virginis editum. Ac ne nobis ho-
 «minum salvatorem, de virgine procreatum, Romana
 «exprobaret potentia, auctores urbis et gentis suae Ili-
 «virgine et Marte genitos arbitrantur.» Quid? quod
 «utile judicabatur civitatibus, quod viri fortes se ex Diis
 «genitos esse credant, ut animus humanus, divinae
 «stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas prae-
 «sumat audacius.» (1). Nec mirum adeo, hanc cum
 nostrâ re similitudinem jam antiquitus auctores Eccle-
 siasticos invitasse, ut his fabulis uterentur, ad novitatis
 et absurditatis speciem a fide Christiana arcendam:
 εἰ διὰ παρθένον γεγενῆσθα [Χριστὸν] φέρομεν, Ethnicis
 respondet JUSTINUS, κοινὸν καὶ τοῦτο πρὸς τὸν Πέρσέα
 ἔστω ὑμῖν (2). Alio sane consilio hoc argumento STRAUSSII
 utitur, scilicet ad nostram rem impugnandam. Nec diffiteor,
 argumentum illud aliquam fortasse nobis creare posse
 molestiam, si levissimâ quadam veri specie nos decipi pa-

(1) Vid. VARRO apud AUGUSTIN. *de civ. Dei*, Libro III, c. 4.

(2) *Apologia* I. c. 22.

timur. Quod si vero rem accuratius perpendamus, multum cernimus discriminis. *Primum* enim laudatae narrationes e fonte fluxerunt, a nostro plane diverso. Constat enim istas fabulas e *Polytheismo* ortas esse, nostram vero de Jesu ortu divino traditionem *Monotheismi* fundamento esse superstructam. Ex illo autem fabulae, tanquam e stirpe rami, laete nascuntur: ex hoc non ita. Illa religio semper fuit mythorum alma mater: nostra vero multa saniora de Deo rebusque divinis tradidit. Quod si recte tenemus, non adeo faciles erimus, in Judaeis, rigido addictis *Monotheismo*, veterum Indorum opiniones obtrudendo, quibuscum nil commune habuerunt, aut etiam nunc habent (1). *Deinde* vero, a memoratis fabulis nostra narratio longissime abit, si *tempus* animadvertas, quo utraeque ortae sint (2). Jesu enim mirifica origo haud ita diu post eius abitum e terris Christianis innotuit. Illae vero longe post hominum, quos spectabant, obitum exstiterunt. Fabula de PLATONIS origine (3), quam ejus ex sorore nepos jam propagavit, hic excipienda est: sed variae erant causae, quibus hoc tribuendum videtur. Ne enim de PLA-

(1) Vid. HOFSTEDE DE GROOT, l. l. p. 39. coll. DORNER l. l. p. 6-8, qui diserte probat, neque ex *Hellenisticâ*, neque ex *Indicâ* Ethnicismi formâ hujus rei cogitationem apud primos Christi cultores oriri potuisse. Et profecto, si Ethnicismum *naturae cultum* habemus (Rom. I: 23.), et ad Pantheisticum Polytheismi fundamentum attendimus, argumentum hoc ex Monotheismi indole egregiam vim accipit; quod perspicue exponit OSLANDER, l. l. p. 27. sqq.

(2) Hoc in primis urget, quod ad Mythos in genere, THOLECK l. l. p. 64.

(3) Vid. DIOGENES LAERTIUS, III. 1. 2., quem laud. STRAUSS., p. 231.

TONIS matre dicam, cujus menti se talis res obtulisse videtur, neque de discipulorum studio, optimum magistrum post mortem celebrandi: observandum est, tunc temporis opinionem in primis invaluisse, qua insignium hominum natales ad Deos referrentur, quos impudicâ cum terrestribus mulieribus consuetudine utentes sibi proponebant Graeci; quod facilius hac in re fiebat, quia PLATONIS et APOLLINIS natales quotannis eodem die redibant et celebrabantur. Porro animadvertendum, ipsas personas, quibus origo illa divina tribuebatur, partim fuisse fictitias, partim pessimae indolis homines, quibus igitur nemo bonus sublimiorem originem facile adscribet. Illud de plurimis valet Diis Heroibusve; hoc e. g. de DOMITIANO, qui, ipso affirmante, multisque credentibus, e MINERVA ortum suum duxit. Ipsa igitur horum vita atque indoles eorum originem divinam impugnavit: Jesu vero fata factaque cum nostrâ sententiâ optime concinere videntur. Denique, ex hoc fonte nostrarum narrationum forma minime explicari potest. Haec enim ejusmodi est, ut sensui modestiae, sublimitatis, simplicitatis omnino placeat, et coelo longius a futilibus Ethnicorum traditionibus distet. Quod si provocat STRAUSSIVS ad studium, quo ducebantur Christiani, Christum majore gloriâ ornandi, huic studio opponendum est, recte monente ULLMANNO, aliud, hominibus non minus proprium, studium nimirum Christi gloriam imminuendi; (1) et quaerere licet, an non haec Christianorum agendi ratio, qua exteros

(1) l. l. pag. 18.

mythos ad Sospitorem unanimi consensu transtulerint, potius dicenda sit historiae quaedam constructio ac pia fraus, quam quod STRAUSSIVS dixit: *absichtlos bildende Sage* (1)? Mirandum sane est, hoc studium formâ tam simplici sese ostendisse, simul vero tam sublimes, qualem nostrae narrationes exhibent. Profecto, haec explicari non possunt, nisi positâ rei nostrae veritate.

Sed, quod *postremo* monendum esse putamus, quid diffiteamur rem, luce clariorem? Ipsum hoc omni animadversione dignissimum est, sparsam esse hanc ideam ubique inter populos Ethnicos. Certe hoc non forte fortunâ factum est, antiquitatem tot sibi finxisse Heroës hominesque, qui ab ipso Numine supremo originem repeterent. Quam rem quomodo alii explicent, nescio: mihi autem in primis haec ratio placet, quae in hac opinionum farragine veri *divinationem* quamdam cerni jubet (2). Optime sentiebant antiqui obscureque videbant, quamvis sublimes luce destituti, verum, bonum, justumque inter homines e solo corrupto homine provenire non posse. Expectabant, imo desiderabant talem divinae naturae manifestationem, quae extrinsecus ad humanam accedat. Inquinabant hujus rei notionem perversis, absurdis, obscœnis subinde fabulis, sed tamen, in ipsâ hac farragine,

(1) Vid. libellus, *Über die Widersprüche, in welche sich die Mythische Erklärung der Evangelien verwickelt. Sendschreiben an STRAUSS VON VAHINGER*, 1836. p. 61.

(2) Ita OLSHAUSEN in *Comment. ad Matth. I: 25*. Quem aliquatenus etiam secutus est HASE, *Leben Jesu* § 33, rem tribuens *der Ahnung der Geburt des Göttlichen in die Menschheit durch Glauben und Geist*.

ideae, quam diximus, vestigium eminet. Crepusculum quasi ante auroram continent hae fabulae. Huic vero ideae, praestantissimae illi, unice respondet Religio Christiana, sive potius Christi persona, Religionis summa ac medullium. Huic generis humani divinationi Ille satisfecit, quoad rationem, qua mundum intravit, ita vero satisfecit, ut nulla alia cum ejus natalitiis comparari queant. Si vel historica haec forma, qua nobis res innotuit, Mythum referret, vel sic tamen ipsa res vera esse deberet (1). Quod ipse STRAUSSIUS aliquatenus concessit (2). Caveamus tamen, ne osculum prodictionis pacis osculum habeamus. Non enim in *facto* quodam historico huic satisfieri divinationi contendit, sed in *ideâ* quadam, quae, eo auctore, non in uno tantum homine, sed vero in toto genere humano se explicare solet. Quod nemo, ut opinor, concedet, nisi qui primos Christi cultores Hegelianae philosophiae asseclas fuisse putet (3).

§ 2.

*Ipsae nostrae narrationes nil continent, quo ad
Mythum agnoscendum cogamur.*

Ostendere hucusque conati sumus, e nullâ causâ, satis probabili, Mythum oriri potuisse de Jesu, extraor-

(1) Vid. HOFSTEDE DE GROOT, l. l. p. 34.

(2) Tom. I. p. 231.

(3) Cf. ULLMANN, l. l. p. 110 sqq., qui ex notione atque consilio ideae religiosae probat, illam necessario se omni suo ambitu in unâ quadam personâ ostendere debere.

dinariâ ratione, e Mariâ virgine nato. Quod si haud prorsus male mihi cesserit, jam ad aliam hujus disquisitionis particulam pergere possumus. Videndum scilicet, num ipsis nostris narrationibus talia Mythorum indicia insint, quibus necessario cogamur ad historicum solum deserendum. In qua palaestrâ novo ardore vires periclitaturis, hanc lectores veniam nobis dent, ut, in hac argumenti et gravitate et ubertate, non adeo ipsa haec criteria aggrediamur, quibus Mythorum notas cerni sibi aliisque persuasit STRAUSSIIUS, sed maxime usum eorum, in nostrâ potissimum re; prius enim illud, etsi non prorsus quidem nobis praetermittendum, tamen et difficilioris et longioris est ambitus, quam quod hujus Dissertationis limitibus comprehendi possit.

Ut vero ordine et enucleate hanc rem exponamus, de singulis STRAUSSII argumentis verbulo monendum erit. Videamus igitur *cum* de nexu, inter nostras narrationes atque Evangelia Apocrypha, *tum* de Angelophaniis, hîc occurrentibus, *tum vero* etiam de nostrae historiae pugnâ cum naturae nobis cognitae legibus. Caetera vero STRAUSSII argumenta *hic* non attingemus. Nam quod argumentatur e pugnâ inter MATTHAEI atque LUCAE narrationem, potius relegamus ad disquisitionem de nostrarum narrationum ἀξιοπιστία, ubi probare conabimur, alteram narrationem alterâ non excludi, sed revera suppleri. Ipse enim STRAUSSIIUS concedit (p. 118), ubi hoc obtineat, argumentum e silentio unius Evangelistae per se non valere ad Mythicam narrationis indolem probandam. Difficultates autem, quas movet, *cum* Exegeticas, *tum* Dogmaticas, alibi sumus tractaturi,

quippe quae non a Mythicismi tantum, verum a Rationalismi quoque patronis moventur, et simul rem magis, quam narrationes, spectant. In *tria* igitur, quae memoravimus, Mythorum criteria, datâ operâ, inquiremus.

I. Primum igitur (1) ad nexum provocat, qui inter nostras narrationes atque Euangeliorum Apocryphorum de eadem re expositionem intercedit. Hunc igitur nexum *cum* exponamus, *tum* videamus, quid inde sequatur ad nostram rem vel tuendam vel rejiciendam.

Ex Apocryphis Euangelii hîc in primis in censum venit *Proteuangelium* JACOBI et *Euangelium de natiuitate* MARIAE (2). Hae narrationes non tantum de Jesu ortu exponunt, verum et ad MARIAE natalitia eorumque annuntiationem adscendunt, ita autem hac in re versantur, ut luculenter ostendant, se V. T. narrationes nonnullas, in primis eam, quae de HANNA, SAMUELIS matre, narrat, imitari voluisse, imo rerum ornamentis eam antecellere. En narrationis summam! JOACHIMUS et ANNA, MARIAE parentes, propectâ jam aetate, frustra prolem sibi optant; lugentibus hac de re senibus Angelus Jehovahae apparet filiamque promittit, summis laudibus aliquando efferendam. Promissis stetit Deus. Filia iis nata post triennium in templum ducitur, ubi cibum de Angeli manu accepit, coelestique continuo gaudet visione. Ad duodecimum aetatis annum Domini cultui mancipata, a precibus et jejuniis non desistit. Matrimonium inire recusat MARIA, se Domino

(1) Vid. STRAUSS, l. l. I. § 23.

(2) Vid. THILO, *Codex Apocr. N. T.* I. p. 161 sqq. et p. 319 sqq.

virginitatem vovisse dicens; qua de re Pontifex, primum dubius haerens, deinde vero divinitus admonitus, omnes populi viduos convocat, singulisque virgam afferre jubet: e cujus autem virgâ flos germinasset, huic in custodiam traderetur virgo. Nulli virgae signum apparet, nisi ultimae, quae JOSEPHI erat. Simul in virgae summâ parte Spiritus Dei, columbae formâ, consedit. Sponsus sponsaque suam quisque domum redeunt. Cum sanctis virginibus templi velum texit MARIA. Per punctulum temporis sola relicta, vocem audit Angeli, absente JOSEPHO, qui domum reversus gravidam invenit, quam intactam reliquerat. Plangit, luget, dubius haeret, sponsam objurgat. MARIA Angeli verborum oblita, frustra innocentiam testatur. Divina tandem apparitio JOSEPHUM de rei causâ, indole, consilio, certiolem reddit. Re ab omnibus agnitâ, aquam redargutionis bibit incolumisque redit uterque. Tandem sequitur, statuto tempore, ipsa Christi nativitas, census populi, caeteraque rerum adjuncta.

Haec fere summa est narrationis, quam cum nostrâ comparat STRAUSSIUS. Convenientiam quam maximam subinde obtinere, nemo certe negabit. Hanc similitudinem in suos usus ingeniose iste contulit. Nimirum, eo iudice, hae narrationes Apocryphae *secundam* quamdam Mythorum periodum constituunt, amplificatorum nimirum, quorum semina jam aderant in nostris Evangeliiis Canonicis. (*Primäre und Secundäre Mythenbildung*) (1). STRAUSSIO auctore, qui hîc occurrunt Mythi simpli-

(1) Vid. STRAUSS. Ed. 1a. Tom. I. p. 61.

ciores, exquisitiores atque ornatiores exstant in Euangeliis Apocryphis. Differt utraque narrationum classis, quod ad *formam* tantummodo. Utraque autem, si tibi ipse constare velis, eâdem prorsus ratione est explicanda, vel *naturali*, vel *supranaturali*, sed eâdem. Quod nisi feceris, sed nostras narrationes plane genuinas et veras, Apocryphas vero plane fabulosas habebas, vide, ne arbitrariâ prorsus ratione quid commiseris. Ita, SCHNECKENBURGERUM (1) maxime secutus, STRAUSSIIUS. Cui si morem gerimus, fidei, nostris narrationibus hucusque habitae, valedicendum erit. Quis enim Apocryphis narrationibus auctoritatem tribuat? Quae tamen, STRAUSSIO auctore, iis necessario tribuenda est, si nostris fidem habeamus: ejusdem enim Mythicae stirpis rami sunt habendae. Facillime autem quid hac de re sentiendum sit, videbimus, si, quod ad nostram rem, inter Euangelia Apocrypha atque Canonica, datâ operâ, comparisonem instituerimus; quo facto, non erit anceps nobis iudicium ferendum, nisi ipsi jam hac de re pronunciaverint lectores.

Et *primum* quidem hoc observamus. Euangelia Apocrypha, ubi de Jesu mirificâ nativitate exponunt, presse sequuntur narrationes simplicissimas Canonicorum, eorundemque paraphrasin redolent, non tantum quod ad res, sed subinde etiam quod ad verba. Res unicuique, comparisonem instituenti, in oculos incurrit. Nonnulla exempla afferamus. In *Proteuang.* JACOBI, Cap.

(1) Vid. SCHNECKENBURGER, *über den Ursprung des ersten Can. Evang.* p. 72.

XI. haec leguntur: «καὶ ἰδοὺ ἄγγελος κυρίου ἐπέστη λέγον ἀυτῇ· χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σου, «εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν... Μη φοβοῦ, Μαριάμ, εἵ-
«ρες γὰρ χάριν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, καὶ συλλήψῃ ἐκ λό-
«γου αὐτοῦ--- δύναμις γὰρ ὑψίστου ἐπισκιάσει σοί,
«διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον υἱὸς ὑψίστου κληθήσεται
«καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν· αὐτὸς γὰρ σώσει
«τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν· καὶ εἴτε Μα-
«ριάμ· Ἰδοὺ ἡ δούλη κυρίου, γένοιτό μοι κατὰ τὸ ῥῆμά
«σου.» — Quem locum si compares cum Lucae I. 28-38,
nulla potest esse magis perspicua similitudo. Idem ap-
paret, si cum loco Matth. I. 20, 21. conferamus haec
verba (*Proteuang.* Jac. Cap. 14.): «Ἰωσήφ, μὴ φοβι-
«θῆς τὴν παῖδα ταύτην· τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν ἐκ
«πνεύματός ἐστιν ἁγίου· καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ
«Ἰησοῦν· αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν
«ἁμαρτιῶν αὐτῶν καὶ ἀνέστη κ. τ. λ.» (1). Patet igitur,
auctores hosce *vel* nostra Euangelia consuluisse,
vel, si mavis, eandem traditionem, quae aut ore per-
vulgaretur, aut *διηγήσεσι* conscripta esset, secutos
esse. Quod autem paraphratarum est, ut non tantum
verbotenus describant, verum etiam, quae sibi obscura
atque imperfecta videantur, additamentis explicent ac
suppleant, idem hic obtinet; quod apparet, si e. g.
cum Lucae I: 39-43 comparemus *Proteuang.* JACOBI

(1) Vid. THILO l. I. p. 214, et 226, quibus locis addatur, *Evang. de nativitate MARIAE et de infantia Salv.* Cap. IX. (THILO. p. 367.), qui comparentur cum Luc. I: 28.

Cap. XII (1). In *Evangelio* autem de *nativitate* MARIAE, Cap. IX., interrogatio Luc. I: 34. ita circumscibitur. «His «Angeli verbis, virgo, *non incredula, sed modum scire* «*volens*, respondet,» etc. Angeli autem responsum, sect. 35. hujusmodi traditur: «Ne existimes, MARIA! «quod humano more concipias; nam sine virili com- «mixtione virgo concipies, virgo paries, virgo nutries. «Spiritus enim Sanctus superveniet in te, et virtus «Altissimi obumbrabit tibi *contra omnes ardores libi-* «*dinis.*» Sect. 38 ita: «Tum MARIA, *manibus expansis* «*et oculis ad coelum levatis*, dixit: Ecce ancilla Do- «mini (*neque enim dominae nomine digna sum*), fiat «mihi secundum verbum tuum.» Aequo lectori optionem relinquimus, inter utramque narrationis formam, nec, cuinam palmam tributurus sit, nescimus.

Sed, quod *altero* loco observamus, neque in narrationibus Apocryphis desunt, quae a nostris plane recedunt: haecce autem vel parvi sunt momenti, vel in omnia absurda prouunt. Sanctae virgines, quarum numero adscribitur MARIA, nunquam fortasse exstiterunt. JOSEPHI dolores insulsâ ratione describuntur. MARIA fingitur Angeli verborum oblita, nec, quid sibi acciderit, perspicuens: quod, quomodo ejus indoli repugnet, statim apparet. Tota de JOSEPHI virgâ narratio propriâ nititur explicatione allegoriae, Jesaia XI: 1. SALOME de MARIAE virginitate dubia crudeli ratione puniuntur. Quid plura? Omnes boni optionem

(1) Omnia haec describere longum sit. Loca vidd. apud THILLONEM, p. 218 - 224.

jam fecerunt inter splendorem, speluncae MARIAE infusum, apud Apocryphos, et *πλήθος στρατιᾶς οὐρανόθεν* apud LUCAM; inter bovem et asinum, Christum in praesepe adorantes (Jes. I: 3.), quod *illi* narrant, et inter simplices piosque Bethlehemiticos pastores, de quibus *hic* loquitur (1).

Ut narrationes Apocryphas de nostrâ re justo pretio habeamus, *tertio* verbum est adjiciendum de *consilio*, quod spirant ubique. Si autem hoc nomine Synopticos cum Apocryphis comparemus, maximum hoc nobis animadvertisse videmur discrimen. Apud *illos* eatenus tantum de MARIA mentio injicitur, quatenus hoc pertinet ad Sospitatoris vitae primordia exponenda, apud *hos* vero ad MARIAM omnia referuntur: de Jesu vero primordiis ea tantum memorantur, quae ad matrem illustrandam simul referri possunt (2). Ubique in Apocryphis studium cernimus, MARIAM summâ gloriâ ornandi. Hanc ob causam ejus natales jam legatus divinus annunciat: MARIA, infans adhuc, multa mirifica et agit et experitur; castitatis votum facit; quae eam laedit SALOME, poenam subit; qui eam in custodiam accipere timet JOSEPHUS, a Pontifice reprehenditur; ubi illa parit, aves in medio cursu volare desinunt; bestiae, capitibus sursum intentis, immotae manent, omniaque altissimum servant silentium. Haec autem observatio sponte nos eo ducere

(1) Vid. THILO p. 333.

(2) Per se patet, narrationes de Jesu infante, miracula jam perpetrante, hic non in censum venire, neque igitur valere ad nostram sententiam infringendam.

posset, ut, haud sine veri specie, in hoc *interno* argumento temporis vestigium cerneremus, quo *Proteuangelium JACOBI*, et *Evangelium de nativitate MARIAE* confectum sit: a quâ tamen disquisitione hîc abstinemus. Quamquam autem id nunc non agimus, symbolam dicta conferunt, ad quaestionem, quo pretio haec Evangelia habendâ sint, facilius solvendam.

Denique comparemus nexum, qui inter MATTHAEI atque LUCAE narrationes obtinet, cum nexu, quo Evangelium *de nativitate MARIAE* atque *Proteuangelium JACOBI* inter se sunt conjuncta. Apud sacros auctores maximam cernimus in narrando diversitatem, quae satis ostendit, alteram narrationem ex alterâ minime pendere; apud Apocryphos anxium studium eadem portenta narrandi. Aut fallor equidem, aut memoratorum auctorum Apocryphorum alter ex alterius fontibus suos hortulos irrigavit. Aliquid quidem discriminis cernitur inter utrumque Evangelium Apocryphum: e. g. in describendâ Angeli apparitione MARIAE parentibus; in MARIAE aetate constituendâ, ubi templum relinquit; in eo, quod alterum MARIAM, JOSEPHO in custodiam traditam, alterum ei desponsatam informet: sed haec minoris sunt momenti. Universe alter alterum serviliter imitatur auctor: eadem fabulae, eadem commenta, forma saepius prorsus eadem. Utrum haec convenientia inde sit repetenda, quod alterum scriptum alterius auctori innotuerit, an vero, quod uterque eandem traditionem, quae inter populares percrebuerat, scriptis mandaverit, nos non persequimur. Hoc unum nobis sufficiat, neque MATTHAEUM, neque LUCAM ab alterius testimonio dependisse, auctorum vero

Apocryphorum vel alterum dependisse ab altero, vel utrumque a communi traditione. Ita vero in nostris narrationibus veritatis criterium cernimus, quod in Apocryphis plane desideramus.

Dictorum summam comprehendamus. In Euangelis Apocryphis ubique studium cernimus Canonica imitandi; in his contra nativam quamdam simplicitatem. In illis, quando a fonte primario abeunt, statim absurda occurrunt, consiliumque deprehendimus, MARIAE laudes effe-
rendi, in his omnia modeste et moderate sunt disposita. In illis tandem inanem tautologiam, observamus in his gratam quamdam varietatem, quae in sublimiorem excurrit harmoniam.

Fortasse jam iudicium de STRAUSSII sententiâ ipsis lectoribus relinquere deberem: si quis autem hoc ex me quaerit, non dubito, quid respondeam. Canonicas nostrâ de re narrationes miracula continere fateor. Apocryphae vero portenta continent. Hae indolem fanaticam spirant, illae sensum religiosum et moralem alunt. Apocryphae vanae curiositati satisfacere student; Canonicae contra sobrium illud referunt modestumque auctoris ingenium, quod argumenti dignitati plane congruum est. Illae, qualem Christum homines fingere possint, ostendunt; hae talem Christum, qualem N. T. descripsit, figmentum esse non posse, declarant. Quibus igitur perpensis, nemo quidem STRAUSSIO concedet, utramque narrationum speciem inter se magnopere convenire, et eâdem ratione interpretandam esse. Contra, summum discrimen inter utramque animadvertimus: non secundo post nostra loco ponenda sunt Euangelia Apocrypha, sed

infimo prorsus! Quod non temere a me contendi, e dictis patet, omnesque boni testentur necesse est, qui unquam, praejudicatis haud impediti opinionibus, nostra Euangelia cum Apocryphis comparaverint! Mihi quidem illud adeo verum videtur, ut haud sciam, an ullum argumentum dari possit, quod majorem vim habeat ad veritatem historicam nostrorum Euangeliorum probandam, quam ipsa haec eorum cum Apocryphis comparatio. MARIA in Apocryphis a MARIA in Canonicis Evangeliiis tantopere discrepat, ut non illius effigies minorem, hujus imago majorem veri speciem habeat: verum, ut altera alteri plane sit opposita. Summo igitur jure Ecclesia Christiana, ab initio inde, Apocrypha rejecit, omnique auctoritate *cum* historicâ, *tum* dogmaticâ ea destituta esse declaravit, nostra vero admisit iisque fidem habuit (1).

II. Pergamus ad *alterum* quoddam Mythi criterium, quod his narrationibus inveniri sibi aliisque persuasit STRAUSSIIUS: *angelorum legationes* dico (2). Has enim diserte huc retulit ille, alios multos, in primis BAUERUM secutus. Si vel Angeli sint, inquit, hominibus non apparere possunt; quum autem hoc non possint, quod tamen summum eorum munus diserte dicitur (Hebr. I: 14), verosimile est, eos prorsus non existere. — Difficilimum autem videtur, haec rite refutare; apparet enim nostrum non esse, Angelorum existentiam munusque

(1) Vid. ULLMANN, l. l. p. 183 sqq, et THOLÜCK, *Glaubwürdigk.* p. 405 - 419.

(2) Vid. STRAUSS, l. l. I. p. 134 sq. et pag. 194., et BAUER, *Hebr. Myth.* II. p. 218.

defendere: quae tamen negare videtur STRAUSSIUS. Ponere igitur debemus, existere naturas quasdam sublimes, quibus ad consilia sua exsequenda Deus utatur. Harum enim notio nil continet, quod contra apertas Logices atque Ontologiae leges pugnet, quod ipse SCHLEIERMACHERUS concessisse videtur (1). Jam vero haec de nostrâ re singulatim teneamus.

Primum quidem observandum, ἀγγελολογίας non criterium absolutum continere, quo nostrarum unice narrationum indoles Mythica evincatur, sed vero ad plurimas N. T. historias illud pertinere. Non tantum in historiâ nativitatis Christi occurrunt, sed in totâ ejus vitâ, in primis autem in historiâ resurrectionis atque ascensionis ad coelestes sedes. Haec igitur difficultas omnes has narrationes aequae ac nostram premit. Sed, positâ Angelorum existentiâ, minime nos inducit eorum adspectus ad Mythum agnoscendum. Quinam enim consilio Mythus hicce inserviisset? Sine dubio, ad Jesum majore gloriâ ornandum. Sit ita! sed neque hoc procedit. Quare igitur tam parce in N. T. occurrunt? quare Jesu praesepe non cingunt, verum campos implement Bethlehemiticos? quidni proponuntur, Jesu circumcisionem impediētes, atque MARIAM, quominus paupertatis sacrificium offerat, cohibentes? quare Angelus, in villâ Gethsemanicâ, Jesum non post preces ter iteratas corroborat, verum post secundam jam ejus afflictionem: ita ut, Angelo in coelum reverso, tertia animi luctatio secuta sit (Luc. XII: 43.)? Cur Angeli

(1) Vid. ejus *Glaubenslehre*, Tom. I. § 42, 43.

non populo aut Synedrio, sed amicis mulieribusque annunciant, Dominum in vitam rediisse? Profecto! si Mythici elementi indicium essent Angelophaniae, longe aliam rationem spirarent. Quod in primis valet de narrationibus nostris. Simplicissima tota res est; non coram populo, non in templo, sed in solitario loco **MARIAE** apparet Angelus: hic honos ejus conditionem externam minime immutat, nam pauper atque ignota etiam hunc manet. Non interdiu, multis adstantibus, aut magnâ cingente popularium sacerdotumve coronâ, sed mediâ nocte, per somnium, cum **JOSEPHO** Dei voluntatem communicat legatus Divinus. Nec miremur, initio vitae Christi plures obtinuisse Angelorum legationes, quam in vitâ ejus publicâ. Si enim edocerentur **MARIA** atque **JOSEPHUS** de consiliis, quae per eos Deus assequi vellet, de his, nullâ fere aliâ ratione, nisi extraordinariâ, iis constare potuit. Illis enim peculiare necessarii erant legati divini: Christo non ita, qui de se vere affirmare poterat, *ὅτι ἐγὼ τὰ ἀρεστὰ τῷ πατρὶ ποιῶ πάντοτε* (Joh. VIII: 29.).

Quod *secundo* attinet ad alteram difficultatem, quam hac opportunitate **STRAUSSIUS** movet, orta est illa e nomine **GABRIELIS**, quo nuncupatur Angelus, Luc. I: 26 (1). Hoc enim nomen pertinet ad distributionem quamdam Angelorum in varias classes, quae post captivitatem Babylonicam maxime invaluisse videtur. Nil in V. T. est, quo ad talem divisionem admittendam cogamur, (si **DANIELIS** saltem librum excipias), et tamen ab ipso

(1) Vid. **STRAUSS.** I. I. p. 129.

Θεοδιδάκτωρ LUCA hoc nomen ad Angelum refertur. Si vero falsa est haec distinctio, nullam auctoritatem narrationi tribuere possumus, quae tale nomen legato Divino tribuat. Objectio haecce difficultate non est destituta. Minus placet, nomen GABRIEL (*vir divinus*) hinc tanquam nomen appellativum sumere, quo Angeli munus exprimatur, quodque adeo in omnibus linguis occurrat (1). Verumtamen STRAUSSIO responderi potest, quod, etiamsi ad litteram in V. T. non occurrat Angelorum haec distinctio, ei tamen aliquid veri subesse possit. Quid enim nos impediatur, quominus in Angelorum etiam societate ordinem quemdam nobis fingamus, quo fiat, ut GABRIEL quidam adsit, παρεστῆκεὶς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. Et etiamsi explicari non posset, quomodo in nostram narrationem nomen hocce irreperit, vel sic tamen, saltu illicito, ex unâ hac denominatione conficeremus totius Angelophaniae Mythicam indolem. Profecto «si «ex hoc nomine Hebraico (LANGII verbis utor), quod «sibi impertiit Angelus, sequatur, totam narrationem «figmentum esse, neque de Deo, mundi governatore, «dici posset, eum Israelitarum fata mediate regere, cum «Judaei ei quoque Hebraica nomina dederint, et ipse «sibi ejusmodi nomina imposuisse, in litteris Sacris «dicatur.» (2).

Denique hoc animadvertere juvat. Etiamsi Angelophania vel ornatus causâ addita, vel improprie expli-

(1) Ita OLSHAUSEN in *Comment.* ad Luc. I: 22.

(2) Vid. LANGE in SUSKINDII *Magazin für Dogmatik und Moral.* P. IX. p. 139., quem laudat KUINOEL, in *Comment.* ad Luc. I: 11.

canda esset, inde tamen nondum sequeretur, totam historiam nostram ad Mythos esse referendam. Fieri potuisset, ut e Mariâ virgine Jesus natus esset, etiamsi Angelus id non annunciasset. Ita quoque statuere possemus, PETRUM e carcere liberari potuisse, etiamsi non per Angelum Deum hoc effecisse putaremus. HERODEM, divinâ poenâ afflictum, nobis proponere possemus (Act. XII: 7, 23.), etiamsi hoc non a visibili Angelo effectum esse censeremus. Verbo ut dicamus, ipsa historia, in qua Angelophania occurrit, vera esse *posset*, etiamsi, quam memorat, Angeli apparitio improprie esset explicanda. Addendum tamen est, non leviter talia STRAUSSIO esse concedenda, sed summâ hîc opus esse cautione; quamvis enim alicui fortasse videri possit, de ipsâ re ita haud multum detrahi, multum tamen de detrahitur auctorum, eam narrantium, fide historicâ; multum item de accuratâ verborum interpretatione. Quid? quod facile ita viam nobis sterneremus, ad *Naturalis interpretationis* q. d. commenta amplectenda.

III. Ut autem verum fateamur, Angeli *ἐπιφάνεια* particulam tantum constituit illius difficultatis, quam prae caeteris premendam duxit STRAUSSIUS. *Pugnam dico cum naturae legibus*, quam in nostris narrationibus deprehendi contendit. Ubi enim miracula narrantur, veri nominis historiam non amplius ille agnoscit. Illo iudice, omnia miracula, nisi cum Dei notione, cum aeternis certe naturae legibus, et cum omnium experienciâ plane pugnant (1). Neque hoc primus STRAUSSIUS invenit: nam

(1) Vid. STRAUSS, I. I. I. p. 116.

idem hoc miraculorum odium causa est dicenda, quare olim jam Mythicam interpretationem plures commendarent (1). Quomodo haec STRAUSSII sententia cohaereat cum ejus celebratâ *immunitate ab opinionibus mente anteceptis* (*Voraussetzunglosigkeit*), alii dijudicent. Neque hujus loci est, fuse exponere, quantopere *et cum Dei, et cum legum naturae, et vero cum miraculorum verâ* notionem haec STRAUSSII sententia pugnet. Jure tamen quaeri potest, utrum omnes naturae leges nos homunculi cognoscamus? Utrum iis, quas naturae constituerit, legibus, ipse creator vinctus sit? Utrum divinae omnipotentiae terminos ponere possimus, eidemque, quid efficere queat, praescribere, aut consuetam hominis originem magis explicare, quam extraordinariam? Sed nequam physiologicâ ratione rem sanctissimam indagemus! Neque ejus indoles hoc sinit, neque Sospitatoris infinita sublimitas. Hactenus igitur sufficiat, quod sententiae nostrae adversarius ipse concessit, Jesu mirificam originem omnino cogitari posse (2). Sed, quid quaerimus? ipse legatus divinus objectionem hanc jam praecidit, verbo illo: *ὅτι οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ πᾶν ἔργον*. Quod si reponat STRAUSSIUS, Deum nulla miracula efficere solere, nisi justam propter causam, lubenter nos id concedimus. Quum vero infra probare conabi-

(1) Vid. PAREAU, de *Mythicâ S. C. interpretatione*, p. 113.

(2) HASIUM dico, qui, l. l. § 33, ipsam rem, de qua agimus, philosophis quidem argumentis impugnat, attamen addit: «*Eine jungfräuliche Geburt ist als unmöglich nicht zu erweisen.*»

mur, Deum hoc miraculo gravissima consilia exsequi voluisse, divina benignitas atque sapientia, in re quam tractamus conspicuae, satis exsplendescunt.

Unum hoc addamus. Objectio haecce, quam contra nostrum argumentum protulit STRAUSSIVS, minime illud unice premit, sed maximam historiae Christi partem spectat: unde simul apparet, quam parum sibi consent, qui, hanc ob causam, historiam nativitatis Christi rejiciant, caetera vero magnam partem retineant. Tota Christi historia miraculis plena est. Unam Christi resurrectionem attendamus. Hanc enim si quis tollat, videat, quomodo talem, qualis nunc est, Ecclesiam Christianam ejusdemque propagationem sibi explicet (1). Si vero unum hoc miraculum omnes, vel inviti, admittere cogantur, non video, quare aliud miraculum rejiceremus, quia e cognitis naturae legibus explicari nequeat. Temere igitur agunt, quicumque Christi mirificum ortum rejiciunt, ob id ipsum, quod rem non intelligant (2).

§ 3.

De caractere narrationum nostrarum pure historico.

Hucusque refutando maxime nostra disputatio processit. Constat jam nobis, *neque* idoneam causam reddi posse, qua talis Mythi ortus explicetur, *neque* ipsis narratio-

(1) Quod egregie contra STRAUSSIVM, rem negantem, exposuit ULLMANN, l. l. p. 29.

(2) Ipse quoque WEISSE, l. l. Tom. I. p. 145. his narrationibus indolem historicam abjudicavit, quia miracula continent.

nibus aliquid inesse, quo ad Mythum agnoscendum cogamur. Sed ulterius progredi licet: nam, non tantum omni destituta est fundamento Mythica nostrae rei interpretatio, sed et varia proferri possunt argumenta quibus character ejus historicus comprobetur. Cujus rei brevis expositio *et* opportunitatem nobis praebebit pau-
cula alia contra Mythicam argumenti nostri interpretationem disserendi, *et* faciliorem nobis aditum parabit ad disquisitionem de narrationum nostrarum *fide* *historicâ*.

Primum quidem provocamus ad nostrorum auctorum *consilium*, quod ubique ostendunt. *Historiam*, proprie sic dictam, se conscribere velle, manifesto declarant. Hujus autem historiae partem constituunt narrationes nostrae. Laudare sufficiat Prologum LUCAE, Euangelio praemissum, ex quo, qua tandem ratione eum explices, hoc propositum continuo apparet. Hoc autem consilium auctorum nostrorum ad infantiae etiam historiam extendi debere, sponte sequitur *et* ex eorum verbis, *et* e narrationum argumento, *et* ex earumdem cum proxime sequentibus nexu. LUCAS enim diserte declarat, se ἀνωθεν ἀρχιβῶς omnia perlustrasse: quo vero sensu illud ἀνωθεν sit accipiendum, ipse ostendit, statim Christi primordia exponere aggressus. Quod in primis vim habere videtur ad STRAUSSII refutandum, utpote qui huic Euangelio prae caeteris auctoritatem tribuat. Continent autem hae narrationes monumenta veri nominis *historica*. Ita e. g. MATTHAEI narratio de Jesu ortu a tabulâ Genealogicâ, eaque accuratissimâ, incipit, qualis certe jejunos catalogus figmentis Mythicis raro

praemitti solet. Initium narrant vitae, quae publice acta erat, de qua testimonium item protulerunt exteri scriptores. Cum hujus vero vitae publicae historiâ indivulso nexu nostra est conjuncta. Quonam igitur jure nos statueremus, promissis non stetisse auctores nostros, aut consilio huicce manifesto eorum scripta non respondisse, sed MATTHAËUM, frigidâ illâ tabulâ Genealogicâ descriptâ, mox in floridum Mythorum campum decurrisse, LUCAM vero, statim in pueritiae historiâ describendâ, ab accuratâ illâ disquisitione, quam initio promiserit, abstinuisse?

Provocamus *deinde ad tempus*, quo nostrae narrationes *et* exstiterunt *et* scriptis sunt mandatae. Nequam Mythorum aetatem agebat populus Hebraicus, sed studia invaluerant historica. Myths pertinent ad puerilem et juvenilem hominum gentiumque aetatem, minime vero ad eorum periodum virilem et senilem, in qua jam versabantur Hebraei. Satis hoc apparet ex operibus historicis FLAVII JOSEPHI et e *libro I Maccabaeorum*. Quod cum saepissime contra STRAUSSII sententiam sit prolatum, hîc non exponendum videtur (1). Nostro tamen jure hoc argumentum ad narrationes, quas tractamus, referre nobis videmur, quarum authenticam jam probavimus, quarum vero argumentum non facile, tam brevi post Christum temporis spatio, in Mythum abire potuit.

Ipsa *porro* narrationum nostrarum *forma* earum indolem historicam pariter arguit. Colorem referunt na-

(1) Vid. e. g. VAHINGER, l. l. p. 15.

tionis, ad quam pertinent: quid enim populi Hebraici notionibus magis conveniebat, quam Angelophaniae? Quid iis magis imis infixum erat medullis, quam Messiae expectatio? Fateor, Mythum etiam colorem referre solere patriae, unde oriundus sit: sed rarius Mythus philosophus (1) simul *Chronologiam* continet, prouti nostrae narrationes (Luc. I: 26): Mythis enim magis proprium est, hanc negligere, rerum adjuncta non ita accurate disponere, quaeque vario temporis puncto acciderunt, in unum cogere, saltem accuratam temporis constitutionem non curare. Talia autem, narrationis alicujus historicum characterem arguentia, quamvis minoris momenti videri possint, omnique exceptione non sint majora, minime tamen nobis negligenda videntur, ubi de re tam gravi iudicium proferimus. Fortasse nobis aliquis narrationis Lucanae illam elegantiam dispositionemque objiciet, qua fere tabulam pictam referre videatur. Quis vero nescit, hanc scribendi rationem LUCAE maxime privum fuisse atque proprium? (vid. e. g. Luc. IV: 16-22. Cap. XIX: 1-10). Quamvis autem pictura cum poësi maximam conjunctionem habeat, tamen haec LUCAE rerum quasi pingendarum ratio poëticam earum exornationem minime probat, nam conjuncta est haec scribendi forma cum nativâ quadam simplicitate, et cum studio *accurate* scribendi. Quapropter non intelligo, quomodo hanc narrationem vocare potuerit HASIUS: «*Sagen voll lyrischen Schwungs*.» Contra vero hae stili dotes, ad

(1) Quod de Mythis historicis non item affirmaverim.

authentiam nostrarum narrationum earumque indolem historicam probandam, haud parum valere, mihi quidem videntur.

Neque magis reformidamus, eandem hanc indolem e ratione efficere, qua simplici atque iteratâ nostrarum narrationum lectione nostri animi afficiantur (*Totaleindruck*). Hanc nempe lectionem quicumque, praedictis opinionibus vacui, instituerunt, certe agnoscent, se historiam legisse, non vero Mythum philosophum. Quod tum praesertim apparet, si comparemus hunc animi affectum cum ratione, qua afficimur, lectâ quadam Euangeliorum Apocryphorum particulâ! Nullâ melius ratione discrimen inter veram historiam et Mythicum figmentum sentiri posse videtur.

Sunt forte qui mirentur, nos characterem vere historicum adscribere narrationi, quae tam multa contineat inaudita et stupenda. Sed animadvertendum est, *historiam* nos tractare *sacram*, et religionem spectantem. In qua dijudicandâ prorsus aliâ ratione versari nos oportet, quam in iudicio de historiâ universâ. Nostra enim historia pertinet ad *τὴν καιρὴν κτίσιν τοῦ Θεοῦ*, quam per Christum Jesum condidit. In tali autem historiâ minime miramur phaenomena extraordinaria, quae nobis in *Physico* quoque mundo occurrunt, nam sunt illi mundi *Moralis* miraculo, quod in Christo obtinet, plane analogâ. Imo in tali historiâ a priori jam aliquatenus exspectamus res extraordinarias, quia ipsum historiae et argumentum et consilium prorsus est unicum. Quod et de nostrâ valet. Quae alibi damnaremus, hîc admittimus: nam Ille, cujus natales tam extraordinariâ

ratione annunciabantur, sibi parem habuit neminem. Quaecumque autem hic adsunt miranda, non anxie sunt perpendenda, sed temporis, consilii, argumenti ratione habitâ, spectanda; non physicâ arte aut juridico testimonio demonstranda, sed menti religiosae probanda; non seorsum ac per se consideranda, set *et* secum invicem *et* cum caeteris miraculis conjungenda, atque ad sublimius, quod ita cernitur, moderamen divinae Providentiae referenda. Quod si facimus, non dubito, quin mecum plurimi nostris narrationibus adscripturi sint *indolem vere historicam* (1).

SECTIO III.

NARRATIONUM NOSTRARUM ἱστοριῶν.

Ut plane nobis constet de auctoritate, nostris narrationibus tribuendâ, non sufficit de earum authentiâ atque indole historicâ disputasse. Accedat oportet disquisitio de earum *fide historicâ*: hac demum probatâ, apud nos constabit de pretio, iis adscribendo. Ut vero aequi simus, confitendum est, talem disquisitionem multifariâ laborare difficultate. Haud difficile est, Apo-

(1) Cf. ULLMANN, I. I. p. 73. Caeterum, hac sectione jam elaboratâ, atque Promotoris probatione munitâ, ad manum mihi pervenit anonymi cujusdam disquisitio de eadem re, sub titulo «*Kan men uit «het verhaal zelf van Jesus geboorte, volgens Lucas I: 26-33. en «Matth. I: 13-25, tot Mythe besluiten?»*» (in *Diario: Godgeleerde Bijdragen*, 1840. p. 260-277). Quam doleo, me non amplius in meos usus convertere potuisse.

stolorum ἀξιοπιστίαν probare, ubi de Christi vitâ publicâ exponunt, quippe cujus ἀυτόπια fuerunt: ubi vero de Christi natalibus ac pueritiâ tradunt, alia oritur quaestio. His enim eorum nemo interfuisse videtur, neque ipsi, e quonam fonte hauserint narrationes suas, indicant. Argumentum porro, de quo exponunt, quo magis extraordinarium est, atque a sensuum testimonio naturaeque legibus recedens, eo facilius nostra dubia auget. Summi igitur momenti esse videtur, in hac etiam re satis firmis rationibus Euangelistarum ἀξιοπιστίαν evincere. Caeteroquin enim primario destituti sumus fundamento, cui superstructa est fides nostra de Christi extraordinario ortu. Faciamus igitur, ut poterimus. Per se apparet, talem disquisitionem conjiciendo magis procedere, quam ponendo atque demonstrando. Ne tamen hanc ob causam his narrationibus fidem denegemus. Quis enim unquam, quae auctores Classici retulerunt, rejecit, ubi de eorum fontibus nil constabat? Nostrae autem narrationes ita sunt comparatae, ut multae quidem de iis quaestiones remaneant, earum ἀξιοπιστία tamen satis firmâ ratione probari possit. Ut vero hoc penso rite perfungamur, *primum* quidem ad quaestionem respondendum erit, qua ratione nostra res ad Euangelistarum cognitionem pervenerit: quo pateat eos verum scribere potuisse. *Deinde* vero, attendendum ad narrationis argumentum atque formam: ut sic ex argumentis maxime internis appareat, eos decipiendi studio minime fuisse ductos, sed verum dicere voluisse. *Denique*, quum duabus gaudeamus ejusdem rei narrationibus, videndum erit, utrum alteram altera excludat,

an vero suppleat. Prius enim si obtinet, neutri fortasse fidem habere poterimus. Brevi ut omnia complectamur, disserendum nobis erit de nostrarum narrationum *fontibus, argumento, consensu.*

§ 1.

Narrationum fontes.

Primum igitur nobis videndum erit, utrum fons, unde narrationem suam hauserit uterque Euangelista, ejusmodi fuerit, ut iis de verâ originis Jesu ratione constare potuerit.

A MATTHAEO exordium ducentes, statim oculos nostros ad se trahit inscriptio, quae Cap. I: 1. occurrit, *βιβλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Si autem quaeramus, utrum haec inscriptio totum MATTHAEI opus, an vero ejus particulam tantum spectet, sine dubio posterius mihi praefendum videtur. Laxa enim eorum dicenda est interpretatio, qui *γένεσιν* per *vitam* reddunt, ut sensus inscriptionis sit: «*Liber sive Commentarius de Christi vita*», quae explicatio in loco Jac. III: 6. frustra praesidium quaerit. Neque tamen unice inscriptio ad tabulam Genealogicam pertinet, quam mox exhibet MATTHAEUS, sect. 2-17. Formula *βιβλος γενέσεως* ad verbum convenit cum Hebraeorum *ספר תולדות* (Gen. V: 1.), quae primum quidem *de tabulis Genealogicis* tantum adhibetur, deinde vero *de familiae cujusdam historiis*; quo sensu e. g. Gen. XXXVII: 2. occurrit. Optime igitur cum FRITZSCHIO atque OLSHAUSENIO Euangelii

nostri inscriptionem extendemus ad historiam de Christi origine humanâ, et de mirâ, qua conceptus est, ratione. Ad Caput igitur *primum* titulum maxime retulerim. Ad *secundum* vero quod attinet, quamvis ad idem historiae genus ac periodum pertineat, non possum non FRITZSCHIO assentire, qui initio Cap. II. (τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος κ. τ. λ.) vestigium sibi deprehendisse videtur novae narrationis particulæ, qua, postquam de Jesu γενέσει exposuerat MATTHÆUS, ad alia quaedam de ejus infantiâ exponenda procedit. Videndum igitur jam nobis est, unde, quaecumque Cap. I. exponit, hauserit MATTHÆUS.

Quod ad *tabulam Genealogicam* attinet, nullus dubito, quin e Christi familiae scriniis haec sit deprompta, atque ab auctore nostro in suos usus conversa. Constat enim, in unaquaque Judaeorum familiâ tabulas Genealogicas maximâ curâ servari solere. Hanc autem tabulam ad MATTHÆI notitiam pervenire non potuisse, nemo facile probaverit. Ipsam autem hanc tabulam, in tesaradecadas tripartitam, MATTHÆI publicani manum fuisse expertam, negare non auserim. Neque nostrae pericopes, sect. 18-25, origo aliunde repetenda videtur. Distinguendum autem est inter narrationis nostrae *argumentum* et *formam*. Illud certe a Jesu consanguineis accepit MATTHÆUS; quippe qui *et* idonei de tali re testes essent, *et* quos facile MATTHÆUS aut quisvis alius adire posset. Tanto autem temporis spatio interjecto, pressisque tantâ caligine natalium historiis, non satis certe hac de re apud nos constare potest. Sed quidni pio MATTHÆI animo confideremus, qui certe nil conscrip-

serit, de quo ipsi non probe constiterit? Si tamen conjecturis indulgere liceat, eorum mihi prae caeteris sententia placet, qui putant, MATTHAËUM hanc narrationem e fonte hausisse, qui a JOSEPHI potissimum parte originem duxit. Ad hunc enim, MARIAE sponsum, in nostrâ pericopâ omnia referuntur; hujus indoles, dubia, proposita, somnium, agendi ratio, maxime exponuntur; de MARIA vero, quamvis quae ad illam pertinent uberius explicanda viderentur, pauca tantum traduntur. Idem quoque in Capitulis II: 13-15. et 19-23. cernere licet.

Haec de MATTHAËI narrationis argumento. De *formâ* vero si quaeris, hanc sine dubio ipsi MATTHAËO adscripserim. Nequaquam monumentum, ab alio jam scriptis mandatum, cum lectoribus communicare videtur. Aut si vel fundamento scripti alicujus fragmenti nitatur narratio, praesenti certe formâ ab eodem auctore processit, qui universum Euangelium conscripsit. In nostris enim Capitibus idem deprehendimus consilium, eandem dicendi rationem, usum V. T. eundem, atque in toto Euangelio cernimus. Ita, ut pauca tantum delibemus, dictio sect. 16. Ἰησοῦς, ὁ λεγόμενος χριστὸς occurrit item Cap. XXVII: 17 et 22; formula καὶ ὅναρ saepius redit, nempe Capite II. et Cap. XXVII: 19; phrasis ἕως οὗ, sect. 25. legitur Cap. XIII: 33. XIV: 22. alibi; vox ἰδοὺ, quam narrationibus praemittere amat MATTHAËUS, et hîc, sect. 19, et Cap. IX: 18, 32. XII: 46, et alibi occurrit (1). Ut brevi dicam: quae nostrâ continentur

(1) Haec aliaque exempla affert CREDNERUS, l. l. I. p. 64.

pericopà, toti MATTHAEI Euangelio adeo sunt congrua, ut hacce formà ab ipso MATTHAEO provenisse potuerint, quippe qui ex ore consanguinei cujusdam Christi has narrationes accepisse, et, postquam de earum fide ipsim probe constiterat, eas Euangelio praemisisse videtur (1).

De prioris narrationis fontibus, quae habui, candidè impertii: de LUCA jam nobis est videndum, de cujus narrationis fontibus varià ratione sententiam tulerunt eruditi. Fuerunt, qui de *Euangelio* quodam *Archetypo* aut de *Euangelio Infantiae* cogitarent, unde has narrationes accepisset LUCAS (2). Quorum tamen sententia satis firmo destituta videtur fundamento. Concedendum tamen est, LUCAM *scriptum* quoddam monumentum in suos usus convertisse. Hoc enim non tantum cum totius Euangelii Lucanei dispositione convenit (3), quod variarum *διηγήσεων* conjunctione exstitisse videtur, verum et in totius nostrae narrationis indole praesidium habet. Monumentum autem illud, quod LUCAS adhibuit, me quidem iudice, conscriptum fuit idiomate Hebraico; hinc color Hebraicus (4) totius nostrae narrationis

(1) Vid. GRIESBACH, in *Comment. laud.* p. 55-61. AMMON, de *natura narrationum de vitae Jesu primordiis*, in ejusdem *Opuscul. Theol.* p. 25.

(2) Vid. KUINOEL, *Proleg. ad LUCAM*, § 3. pag. 238.

(3) Quam sententiam in primis exposuit SCHLEIERMACHERUS, in opere de LUCAE *Euangelio*, quamvis subinde, ut videtur, nimis artificiosà ratione procedens in Euangelii nostri analysi, quod saltem PLANCKIUS et FRITZSCHIUS in eo reprehenderunt.

(4) Colorem Hebraicum narrationis stilo infusum esse, negari posse non videtur. Neque tamen GERSDORFII sententiam improbare auserim,

repetendus. Monumenti illius originem ad Jesu familiam retulerim, atque e **MARIAE** maxime ore illud conscriptum putaverim (1). Ad hanc enim in **LUCAE** narratione omnia referuntur, prouti a **MATTHAEO** ad **JOSEPHUM**. Quid Jesu matri contigerit, quali animo et quantopere Deo grata fuerit, maxime exponitur, **JOSEPHI** nullâ fere mentione factâ. Nisi igitur ab ipsâ **MARIA**, certe a Jesu fratribus vel consanguineis, aut a **ZACHARIAE** familiâ narrationis, quam tractamus, originem repetamus. Neque de **LUCAE** ἀξιωματικῆ aliquid detrahi vereamur, ita statuentes. Unicuique enim incumbit scriptori, qui praesto sunt fontes hos in suos usus convertere, quaeque fide digna habet monumenta historica diligenter consulere. Jure enim confidimus **LUCAM** nil litteris mandasse, quod non ἀκριβῶς ἄνωθεν exploraverit. Quid? quod ex ore ipsius **MARIAE** eorum, quae hîc scribebat, confirmationem audire potuit. **MARIA**

qui l. l. stili convenientiam inter Capita duo priora atque totum **LUCAE** Evangelium vindicavit. Sed utraque sententiâ optime conjungi posse videtur, si statuamus, ipsum **LUCAM** tale monumentum Hebraicum in Graecum sermonem convertisse, quod certe facere non posset, nisi ipse suum scribendi genus in hac versione exprimeret.

(1) Neque tamen hoc de toto Capite I et II. **LUCAE** affirmare auserim. **SCHLEIERMACHERO** enim (quamvis quadripartita ejus nostrorum Capitum divisio justô major atque nimis artificiosa videri possit) concedendum videtur, narrationem saltem Luc. II: 8-20. ita sese habere, ut ipsos *pastores* Bethlehemiticos hîc magis fontes fuisse arbitremur, quam quidem **MARIAM**. Ea enim, quae *pastoribus* maxime gravia erant, exponuntur: *Mariae* vero mentio, quae sect. 19. injicitur, potius ad Epilogum pertinere, quam fontem indicare mihi videtur. Vid. **SCHLEIERMACHERI** opus laudatum, pag. 37.

enim, post Christi decessum, Hierosolymis habitasse videtur in JOHANNIS aedibus, cui matrem commendaverat moribundus Sospitator; neque in Asiam minorem abiisse videtur JOHANNES, nisi mortuâ coelestis amici matre. LUCAS vero saepius cum PAULO Hierosolymis versatus est, ibique discipulos adiit, qui intimâ cum Jesu familiâ necessitudine erant conjuncti (Act. I: 13, 14). Si jam statuamus, LUCAM Euangelium conscripsisse, durante PAULI captivitate (1), MARIAM adhuc viventem, 72 fortasse annos natam, videre potuit (2). Quid autem LUCAE magis gratum esse potuit, quam ab ipsâ Jesu sanctissimâ matre ea accipere, quae illustrem ejus filium spectarent? Quid MARIAE animi conditioni magis conveniens excogitari potest, quam, quae sibi evererint, quaeque tam diu in corde recondiderit, palam profiteri? Nunc enim, Christo in coelum sublato, gravissimae causae, propter quas tam diu silentium servaverat, non amplius valebant, nihilque impediēbat, quominus sublimia Christi primordia amicis traderet MARIA. Quod si cuidam minus verosimile videatur, optio nobis relinquitur inter JACOBUM, JUDAM, alios, qui, cum Christo κατὰ σὰρκὰ intime conjuncti (3), LUCAM de re, ante

(1) Quod vero esse simillimum post alios probavit contra STRAUSSUM, THOLUCK, I. I. p. 135.

(2) Hanc argumentationem uberius persecutus est THOLUCK, I. I. p. 150 sqq.

(3) Memoratu dignissima est ingeniosa sententia, quam protulit Ven. J. AB UTRECHT DRESSELHUIS, in Comment. a societate Haganâ praemio nuper ornatâ, de Euangelio LUCAE, p. 201. et quae huc redit: *Pro-*

Christi natales factâ, optime certiorum reddere potuerunt. Quidquid vero statuas, abunde apparet, MATTHAËUM atque LUCAM minime temere versatos fuisse in nostrâ exponendâ historiâ, sed genuinos fontes consuluisse, unde suas relationes hauserint (1).

§ 2.

Narrationum argumentum (2).

Etsi igitur non certo indicare potuimus, e quibusnam fontibus narrationes nostras hauserint Euangelistae, tamen eos, haud sine veri specie, suspicari nobis licuit, nullumque justum remansit dubium, quin verum dicere potuerint. Sed novam ἀξιοπιστίας documentum cernimus, attendentes ad ipsarum narrationum *argumentum*. Scilicet, nisi verae sint, quas tractamus, narrationes, *neque* intelligimus, quomodo factum sit, ut

«*euangelium* JACOBI jure spurium habemus. Difficile tamen explicari «*posse videtur, quare tantopere illud inclaruerit, nisi statuamus, «genuinum quoque olim adfuisse JACOBI Euangelium, quod tamen «haud diu superfuit. Ex hoc igitur opere deperdito LUCAS has nar- «rationes depromserit. Quae autem ab ipso Jesu fratre de ejus «vitâ narrationes profectae essent, fide fuerint dignissimae!» Sententiam probare studet auctor, convenientiam ostendens inter Euangelistae nostri scripta atque JACOBI epistolam, in primis quoad utriusque scribendi formam.*

(1) Cf. hac de re difficillimâ A. H. BLOM, *Dissertatio Theol. de ἀδελφοῖς καὶ ἀδελφαῖς τοῦ κυρίου*. L. B. 1839.

(2) Cf. W. BROES, *Leerredenen*, III. p. 190-223.

talem rem sibi finxerint Apostoli, *neque* perspicimus quare *hac* potissimum formâ atque ratione eam adumbraverint. Neutra harum rerum difficile probatu erit.

Nisi revera e virgine natus sit Christus, jure quaeri potest, quomodo eo pervenerint Apostoli, ut hoc fingerent? Ad quam quidem quaestionem nemo satis probabili ratione respondit. Simples illi atque indocti Galilaei piscatores, neque Indicâ, neque Hellenisticâ Mythologiâ instituti erant. Virginem autem partum edere inauditum erat atque unicum prorsus. Num hoc igitur ad Messiae notionem, qua imbuti erant, pertinebat? Supra jam vidimus, rem minime ita sese habere. An fortasse studio ducebantur, Jesum majore gloriâ ornandi? Sed qua, quaeso, ratione res in ejus gloriam explicari posset, quae primo obtutu splendorem divinum minime referebat? Quomodo illi, qui primum terrestre atque splendidum Messiae regnum expectaverant, eo pervenire potuerunt, ut e regiâ quidem, sed pauperi populoque ignotâ virgine eum natum esse contenderent? Profecto, nisi ipsa res ita obtinuerit, quam narrant, his quaestionibus responderi non potest. Fateor, quae narrant, ea captum nostrum longe lateque superare. Quicumque vero suae tenuitatis tam parum memor sit, ut nil recipere velit, nisi quod antea intellexerit, de mundi physici phaenomenis, de universi creatione, imo de semet ipso dubitet. Quodnam enim aenigma homini difficilius solvendum, quam ipse homo? Quid de nostro ipsorum ortu, de naturae legibus, de rerum nexu nos hominuli perspicimus? Ipsa rei indoles mihi documento est, hujusmodi quid ab Apostolis excogitari non potuisse: et

si vel rem sibi fingere potuissent illi, certe non *tali* formâ eam descripsissent, nisi revera accidisset.

Quod jam *altero loco* datâ operâ probemus. De sublimi re tam *simplici* ratione narrant, ut ipsi auctores fere nescire videantur, se inauditum aliquid tradere. Rerum fictitiarum auctores, si quid describant, quod ipsis vehementer placeat, in eo ita versari solent, ut, nisi semet ipsos egregiis laudibus extollant, se certe lectoribus commendent, obtrudant fere. Cujus rei plurima exempla in Euangeliis Apocryphis cernimus (1). Nostrae contra narrationes ipsorum auctorum nullum prorsus continent vestigium: quin ita sese habent, ut, propter rem, quam exponunt, auctorum fere obliviscaris. Neque se ipsos, neque rem a se traditam, admirantur illi. Narrant *porro* ratione perquam *modestâ*, atque luculenter ostendunt, se potius aliquid missum facere velle, quam sanctas modestiae atque verecundiae leges migrare. Quod si cum hac eorum scribendi ratione impudicum illud conceptionis atque partus describendi genus comparemus, quod in Apocryphis dominatur, longe aliter utraeque narrationes nos afficiunt! Nostrae narrationes decori sensum non laedunt: Apocryphae hunc omnino offendunt. Multa quaerenda nostrae relinquunt narrationes; neque rem, prorsus inexplicabilem, grandisonis verbis enucleare student. Eatenus *imperfectas*, nec omnino *absolutas* dicere possemus nostras narrationes; simul vero addendum est, narrationes

(1) Vid. e. g. *Proteuang.* JAC. Cap. XXV. apud THILONEM, l. l. pag. 273.

de tali re, quas tanquam veras agnoscamus, ita comparatas esse debere. Sancta enim sancte sunt exponenda: ille vero auctor merito in fraudis suspicionem incurrit, qui vires impendit, ut omnibus vanis quaestionibus de tali re obviam veniat. Cum vero nostrae narrationes stolidae curiositati parum satisfaciant, permulta silentio praetereuntes, in iis, quae exponunt, facilius iis fidem habemus. Nescimus fere, utrum ipsius rei, quam narrant, sublimitas hac scribendi simplicitate et modestiâ superetur, an vero augeatur.

Addere aliquid juvat de *psychologicâ* veritate in JOSEPHI atque MARIAE descriptione. Ubique MARIÆ indoles sibi constat. Angelo viso, *διεταράχθη ἐπὶ τῷ λόγῳ αὐτοῦ*. Quomodo aliter fieri poterat? Neque enim Angelorum consortio usa erat, neque ab Angeli manu puer cibum acceperat, prouti somniant Apocryphi auctores: sed simplex erat puella, coelestibus visionibus vocibusve plane inassueta. Timor vero ille non impedit, quominus *διελογίζετο ποταπὸς εἴη ὁ ἀσπασμὸς οὗτος*. Nonne hîc eandem invenimus MARIAM, quae (Cap. II: 19, 51.) *συνειήρει τὰ ῥήματα ταῦτα, συμβάλλουσα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς*. JOSEPHUM aequè pium justumque videmus, ubi de sponsae puritate dubitat, et ubi, de Dei voluntate certior redditus, matrem et infantem laete in tutelam accipit. Imo, nonnulla his narrationibus insunt, quae primo obtutu neque JOSEPHO neque MARIAE magnopere honorifica videri possint. Dubius haeret uterque; objectionem movet MARIA; de sponsae honore primum JOSEPHO nequaquam constat; imo jam cogitat de eâ dimittendâ, quae Messiae mater fieret. Ne-

que mentis, nec phantasiae, nec pulchritudinis dotes **MARIAE** diserte adscribuntur: virginalem autem dubitationem ejus quum tandem removerit Angelus, non continuo exsultantis gaudii, sed submissi animi verba ex ea audimus, divino mandato obtemperantis. Ubi denique sublime carmen ex alterius hujus **HANNAE** ore audimus, multa quidem est in Dei laude efferendâ: de ipso vero miraculo, quo Messiae mater existeret, plane silet. Si utriusque autem conditionem, notiones, characterem consuluerimus, aut omnia ne fallunt, aut talia veritatis vestigia characterum descriptioni insunt, ut nil addi, nil omitti potuisset, sine totius divinae harmoniae detrimento. Profecto, ita mente omnia revolvens, ita honori unice consulens, ita, dubiis remotis, Deo plane confidens, **MARIA** sola et apta et digna erat, quam mundi Sospitator matrem diceret.

Sed *Angelophanias* tamen continere has narrationes, fortasse quis objiciet. Ni fallor, post ea, quae jam animadvertimus, haec res minorem nobis molestiam creabit, quam si vel *initio*, vel *seorsim* nobis tractanda fuisset. Si autem vera sint, quae jam exposuimus, *Angelophaniae* egregie nostrae rei divinae indoli conveniunt. Nisi enim quis probaverit, Angelos neque esse, neque apparere posse, concedet, opinor, nullam unquam apparendi causam iis exstitisse graviolem, quam tempore conceptionis et natalium ejus, quem omnes Angeli Dei adorant (Hebr. I: 6). Consilium autem, quo, nostris monentibus narrationibus, missi sint, Deo, Angelorum **Domino**, profecto dignissimum est. Quid enim jam magis necessarium erat, quam dubitantis animum corrobora-

rare, ipsis Jesu parentibus ejus adventum annunciare, τὴν εὐλογημένην ἐν γυναιξίν de filii splendore futuro certiore reddere? Quantopere omnia, quae de Messiae regno praedicat Angelus, et MARIAE NOTIONIBUS conveniebant, et vero simul congruebant! Quam sublimi ratione dubitationi resdondetur, quam divinis promissis non poterat non opponere regia virgo! Ad JOSEPHUM vero quod attinet, non aëgo, visionem, quae illi contigit, majore premi difficultate, neque equidem notam characteristicam constituere ausim, qua somnia, divinitus missa, a solitis discernantur. Sed ipsa res, quamvis veram ejus rationem perscrutari non possimus, et necessaria fuit, et JOSEPHI conditioni plane accommodata. JOSEPHUS enim rationem edocendus erat, qua, e Dei voluntate, acturus esset, munusque honorificentissimum ei erat explicandum, quod ei imponebat Divina Providentia. Nullus autem homo haec ei aperire poterat: divina igitur institutio ei cummaxime necessaria fuit. Quod recte jam ORIGENES observavit (1). Non defuerunt quidem, qui JOSEPHI mentis commutationem naturalibus maxime et psychologicis causis explicari posse putarent. Verum non video, quomodo haec mentis mutatio propo-

(1) ORIGENES, *contra Celsum* I. 66. (pag. 381. Ed. de La Rue) ad locum Matth. I: 20. jure observavit «Nihil hic scriptum est, quod «mihî admodum insolens videatur. In utroque enim scripturae loco «narratur Angelus JOSEPHUM allocutus fuisse per somnium; at pluribus aliis contigit, ut per somnium admonerentur, quid facto opus «esset: sive angelus, sive quaedam alia res in animâ imagines informaverit. Quid igitur absurdi est, ei, qui semel humanam naturam «susceperat, humano more provideri, ut pericula declinet!»

sitique conversio obtinere potuerit, nisi extrinsecus aliquid accesserit, quod eam effecerit. Non enim, quae antea obscure senserat, jam ei clara atque perspicua fiunt, sed de re plane ignotâ atque inauditâ certior redditur, atque, hac perceptâ, plane contrariâ ratione cogitare atque agere instituit. Quidni autem JOSEPHO probe constare potuit, Angelum ei apparuisse, etiamsi de ratione, qua hoc factum esset, neque aliis neque nobis aliquid constet? Nonne somnii perspicuitas, ejusdem sejunctio a caeteris visionibus nocturnis, ejus convenientia cum dormientis animi conditione, peculiaris tandem ejus in mente efficacitas, aliaque, tantopere huc valere potuerunt, ut nulla justa ipsi remaneret dubitandi causa de somnii origine divinâ (1)? Neque objici potest, Deo indignum fuisse, quod *per somnium* voluntatem suam JOSEPHO patefecerit, quia tale quid humanae superstitioni alimentum praeberet: nam nullus est modus, quo se hominibus patefaciat Deus, quia in malam partem trahi possit. Quid? quod hac

(1) Vid. HERINGA, in *Comment. de Angelis* (in operibus Soc. Hag. 1811.) pag. 42, et in primis HERDERI Homilia de Matth. I: 18-25. (*zur Rel. u. Theol.* Tom. IX. p. 49.) qui, de JOSEPHI dubiis exponens, pulchre ait « Auf der Spitze einer so scharf schneidenden Klippe stand das Schiff: ein Augenblick musste es retten, oder es ward Trümmer! » Und Gott wollte und that's. Erscheinung erhielt JOSEPH, aber nur « auf der untersten Stufe der Erscheinung, *im Traum*. Wäre es der « MARIA also gewesen, wie unbefriedigend, und für die Spötter gar « lächerlich. Aber JOSEPH — er war nur Nebenperson, die dabei « stand, die Wink und Aufschluss nöthig hatte, und so war es für « ihn genug. »

in re prae caeteris divina sapientia elucet, quae, per medios errores, superstitionem atque vitia, institutionem generis humani curare pergat, et per oppositas fere vias ad verum, bonum, sanctumque nos perducit (1).

Postremo hoc addendum. Nisi res nostra revera obtinisset, non video, quomodo Christi ortum humanum explicemus. JOSEPHI filium eum fuisse probari non potest: imo, nisi JOSEPHUM in Christi pueritiâ mortuum esse putaveris, (2) ejus agendi ratio erga patrem, qui in Christi publicâ vitâ nequaquam occurrit, explicari non potest. Unanimus Euangeliorum Canonicorum et Apocryphorum consensus illud omni dubio majus constituit, Jesum JOSEPHI filium non fuisse (3). Undenam igitur Christus originem duxit? Novi, fuisse, qui Mariam deceptam et tamen puram virginem habuerint: sed quomodo hoc et Jesu hominis sublimitati et indoli nostrarum narrationum morali (4) conveniat, parum intelligo. Mi-

(1) Vid. HERDER, l. l. p. 52.

(2) Cujus rei nullum exstat documentum: contra e Joh. VI: 42. contrarium sequi videtur.

(3) Luculenter hoc probavit LUDEWIG, l. l. p. 51-77.

(4) Hanc indolem moralem nostrarum narrationum et alii turpiter neglexerunt, et in primis auctor libri «die Natürliche Geburt Jesu historisch beurkundet durch FLAVII JOSEPHI Jüd. Alterth. (B. XVII. Cap. 2. § 4.), qui totam nostram narrationem explicare studet e conspuratione quadam Pharisaeorum contra HERODEM MAGNUM, novo quodam Messiâ, Jesu nimirum, in medium prolato, qui a CARO quodam, libidinoso et pulcherrimo juvene, favente ZACHARIA sacerdote, procreatus est e MARIA virgine, hujus nepti, per fraudem deceptâ. Sententia autem, quae Jesum tanquam *Deum ex machinâ* habet, quo Pharisaei

nima hujus rei suspicio cum Mariae purâ atque sedatâ indole pugnat, in qua non imaginandi facultas, sed mens atque intelligentiae sollertia longe praevalent. Si autem jure hoc commentum fugiamus, quo Judacis, optimum Sospitorem turpiter calumniantibus, similes redderemur, nulla via nobis relinquitur, nisi pia fides, narrationibus Euangelicis habenda, quippe quae, profecto! *et formâ et argumento* se quam maxime unicuique commendent, qui veri sensu non plane hebetes gaudeat (1).

§ 3.

Narrationum consensus.

Quae hucusque disputavimus de nostrarum narrationum fontibus atque argumento, ad earundem ἀξιοπιστίαν confirmandam minus valerent, nisi repugnantiae species, in iis obvia, possit e medio tolli. Addenda igitur videtur brevis *de nostrarum narrationum consensu* epilocus.

utebantur (turpe dictu!), cui ipse per totam vitam tamen se acerrime opposuit, sensum Christianum ita laedit, atque Jesu historiae tanto pere est opposita, ut refutatione non mereatur. Cf., si tanti videtur, Censor in Diario, *Theolog. Litteraturblatt zur Allgemeine Kirchenzeitung*, 1832. No. 16, 17. Huic scripto se opposuit *Anticarus oder Historische Critische Beleuchtung der Schrift, die Nat. Geb. u. s. w. von W. T. KORB*, Lipsiae 1831. qui, datâ operâ, ostendit, laudatam sententiam *et perversâ interpretatione niti loci*, e JOSEPHO laudati, *et in ridicula omnia abire, et hypothesis esse superstructam*, quae nunquam probari possit.

(1) Cf. NEANDER, I. I. pag. 8. sq.

Alteram narrationem ab alterâ plane recedere, primo jam obtutu apparet. MATTHAEUS enim quae JOSEPHO, LUCAS autem quae MARIAE evenerunt, maxime exposuit. Hoc auctore, MARIAE annuntiatur, esse sobolem ex se nascituram, quae non humano patri, sed Spiritui Saucto originem deberet; *illo* vero momente, de hujus graviditatis causâ et consilio certior redditur JOSEPHUS. Res igitur, quam uterque exponit Euangelista, etsi eadem, aliter tamen ab utroque quodammodo informata est. Jam vero quaeritur, utrum altera narratio alteram suppleat, an vero excludat. Prius si verum est, eadem res a duabus maxime partibus nobis conspicienda praebetur, pro duabus, quas maxime spectabat, personis. Posterius si revera obtinet, certo certius vel alteri narrationi, vel utrique, fides deneganda est. *Illam* sententiam amplexi sunt interpretes plurimi antiquiores; *hanc*, alios nonnullos secuti, SCHLEIERMACHERUS et STRAUSSUS (1). Quorum dubia in primis nexum premunt, quo alteram cum alterâ narratione conjunctam cernimus. Hos si audis, cum LUCAE narratione JOSEPHI dubia componi nequeunt. «MARIA enim, ut ajunt, non poterat non, quae «sibi contigerant, JOSEPHO confidere: quodsi fecerit, explicari non potest, quomodo de illâ dubia alere potuerit «JOSEPHUS. Legatus autem divinus minime provocat «ad ea, quae jam MARIAE annuntiaverat, sed ita fere «ratiocinatur, ac si nunc demum primâ vice missus «esset. Et si vel statuamus, MARIAM de totâ re silentium «servasse, donec de verâ ejus iddole certior redditus esset

(1) Vid. SCHLEIERMACHER, l. l. p. 42. STRAUSS, l. l. pag. 188.

« JOSEPHUS, *neque* illius diuturnam in ELIZABETHAE domo
 « commorationem intelligere possimus, *neque* animi tran-
 « quillitatem explicare, quam in ea observamus, anteaquam
 « cum JOSEPHO suam conditionem communicaverat. »
 Quae dubia postquam STRAUSSIVS uberius exposuerat, va-
 riasque, quibus componerentur, rationes rejecerat, inde
 efficit, alteram narrationem alterâ excludi, atque adeo
 in eo desinit, ut inter Mythos utramque recenseat.

Neque tamen jure ita statuisse videtur STRAUSSIVS. Op-
 time enim utraque narratio cum alterâ conciliari posse
 videtur, ratione non novâ quidem, sed multorum tamen
 auctoritate atque exemplo probatâ. Simplicissime enim
 rem nobis ita informamus. Primum MARIAE rem annun-
 ciavit Angelus, quippe quam prae caeteris spectabat.
 Tunc vero abiit illa ad ELIZABETHAM, ac postea demum,
 domum redux, a JOSEPHO εὐρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα. Huic
 jam, hac de re jure sollicito, legatus apparet divinus,
 qui, quid de illâ statuendum, et qua ratione erga MA-
 RIAM agendum esset, ipsi Dei nomine praecipit.

Sed jam quaeritur, utrum JOSEPHO statim, quae
 sibi evenerant, tradiderit MARIA, an vero minus. Qui
 affirmando respondent, provocant *et* ad necessitudinem
 inter MARIAM atque JOSEPHUM, omnino tenerrimam il-
 lam, qua tale quid JOSEPHO tradere debuerit, *et* ad
 MARIAE de Angelophaniae veritate persuasionem ani-
 mumque Deo obtemperantem, quo incitari debuerit
 ad laetum, quem acceperat, nuncium statim cum
 JOSEPHO communicandum. Si ita res se habuisset, ne-
 quaquam inde sequeretur, Angelophaniam JOSEPHO non
 amplius necessariam fuisse. Id enim, quod hîc ageba-

tur, tam divinum atque inauditum erat, ut nemo quidem, nisi divina assertione fretus, ejusmodi quid credidisset. Imo, Angeli apparitio, quae JOSEPHO contigit, non tantum inserviit ad ejus fidem confirmandam, animique tranquillitatem ei reddendam, sed simul ita ei divina sapientia ostendit, qualis esset infans, quem in tutelam acciperet, quantaque salus ab Illo exspectanda. Et si vel statueremus, MARIAE, statim rem cum ipso communicanti, non continuo fidem habuisse JOSEPHUM, nullum exinde JOSEPHI indoles detrimentum acciperet, quin ipsius, utpote *δικαιον*, maxime hoc interesse debebat, ut de sponsae puritate probe sibi constaret. Neque majore jure eo offenditur STRAUSSIVS, quod miraculosae MARIAE narrationi fidem denegaverit idem ille JOSEPHUS, qui tamen mox alio miraculo victus, atque ad Angelorum visiones admittendas proclivis esset. Nam Angelophaniae studioso V. T. lectori minime inauditae erant: quod vero virgo, non cum viro congressa, conciperet, res erat tam inaudita, ut de ea jure dubitare potuerit JOSEPHUS, nisi divinitus de ea certior redderetur. Etiam si igitur statueremus, JOSEPHUM ab ipsâ MARIA primum de re nostrâ nuntium accepisse, nequaquam tamen inde sequeretur, LUCAE narratione MATTHAEI expositionem excludi.

Mihi vero probabilius videtur, MARIAM rem JOSEPHO non aperuisse, anteaquam huic etiam Angelus apparuerat. Argumentis haud spernendis haec fulcitur sententia. Illud enim ἐν ῥέθρῃ, Matth. I: 18. inexpectati quid indicare videtur. Indoles porro Angelophaniae, quae JOSEPHO contigit, huic sententiae haud parum auctoritatis

adjungit. Minime enim provocat ad ea, quae MARIAE promiserat: quod certe fecisset, si haec jam e MARIAE ore accepisset, deque iis dubitasset JOSEPHUS. Accedit, quod LUCAE narrationi, sect. 39. vestigium inesse videatur maximae celeritatis, qua MARIA, Angelo audito, ELIZABETHAM adierit. Neque MARIAE hoc imputari potest, eam JOSEPHO hac de re nil tradidisse. Modestam enim sponsam ad tam difficilem confessionem non facile accedere potuisse, puto. MARIAE autem indoli magis congruum erat, de aliquâ re silentium servare, quam statim mentem aperire. Neque dijudicanda videtur e nostris decori atque honesti legibus. Quid? quod Deo hoc tuto relinquere poterat, qui, cum ad tam insignem eam designasset honorem, hunc quoque coram JOSEPHO vindicaturus ejusque justa dubia remoturus esset. Profecto! quo certius MARIAE constabat de peculiari, qui se ipsi manifestaverat, favore divino, eo magis se Deo tradere debebat, non vero ipsa agere. Aut potius, ni fallor, de totâ hac re neque statim cogitavit MARIA, neque cogitare poterat. Summo enim gaudio repletus erat animus, quod ex ejus carmine satis apparet. Statim ELIZABETHAM adiit, fidem in se excitatam corroborare studens. Neque ita JOSEPHUM neglexisse censenda est; nam ipse legatus divinus oblique, ELIZABETHAE mentione factâ, ad hoc iter suscipiendum MARIAE ansam dedit, quo ad majorem persuasionem perveniret. Visâ ELIZABETHA confirmataque exinde ipsius persuasione, *vel* Deo curam reliquit, JOSEPHI dubia, quae certe orirentur, solvendi, *vel*, si mavis, cum ELIZABETHA hac de re consilium inire potuit.

Disputata si probabilia lectoribus videantur, item jam

apparuit, ea rerum adjuncta, quae Apocryphi auctores excogitarint ad JOSEPHI dubia explicanda, plane esse supervacanea (1). In *Proteuangelio* JAC. Cap. XII. nodus ita solvitur: *Μαριὰμ δε ἐπελάθετο τῶν μυστηρίων, ὧν εἶπε πρὸς αὐτὴν Γαβριήλ.* JOSEPHUS eam gravidam invenit, atque objurgat; MARIA vero, *οὐ γινώσκω*, inquit, *πόθεν ἐστὶ τοῦτο ἐν τῇ γαστρὶ μου.* Haec vero rei exornandae ratio et ea, quae MARIAE evenerunt, plane incerta reddit, et maxime quaesita esse videtur, et cum MARIAE indole purâ atque aequabili aperte pugnat. Neque majore pretio habeam explicationem in *Evangelio de nativitate Mariae*, Cap. VIII-X. ubi JOSEPHUS dicitur non Nazarethae, sed Bethlehemi habitasse, quod tamen habitationis discrimen non satis valido niti videtur argumento. Sed quid plura? Supra jam vidimus, alteram narrationem cum alterâ optime concinere, neque igitur talibus aliisve remediis nobis opus esse videtur.

Sed uberius etiam progredi licet. Si enim accurate inspicimus atque comparamus utramque nostram narrationem, Evangelistas consuluisse fontes videmus, a se invicem plane recedentes. Et vel sic tamen nulla res est in altera narratione, quae cum alterâ pugnat, imo se invicem suppleant atque confirmant, quamvis neutra ab alterâ pendeat. Pulcerrima vero harmonia, quam ita in mediâ repugnantiae specie animadvertimus, me quidem giudice, haud parum valet ad nostrarum narrationum veritatem comprobendam (2). Apparet autem,

(1) Vid. STRAUSS. l. l. p. 189, 190.

(2) Quod item observat FELLMOSER, *Einl. ins N. T.* p. 97.

quam levia sint, quae ex narrationum discrimine effecerit STRAUSSIVS, ad Mythicam eorum indolem probandam. Et si vel nonnulla nostris narrationibus inessent, quae non probe conjungi possent, tamen temere hanc ob causam fidem iis denegaremus; si enim historia etiam vitae publicae Jesu multa contineat, quae non ab omni parte secum invicem conciliari possint, nonne multo majore jure talia suspicaremur in nativitatis historiâ? Prudentius igitur erit, iudicii *επιχειρη* adhibere in re, de qua semper multa quaerenda relinquuntur, quam alto supercilio ea despiciere, quae, etiamsi eorum verus nexus nos lateat, tamen minime sibi invicem opponi debent.

CAPUT POSTERIUS.

OBJECTIONUM REFUTATIO.

(APOLOGIA NEGATIVA).

Exposuimus igitur fundamentum historicum, quo nititur nostra persuasio de Sospitatore, extraordinariâ ratione e Mariâ virgine nato. Neque aliter fieri poterat, quin, ita disputantes, destrarum narrationum authenticâ, caractere minime Mythico, fide historicâ, plures jam solvere inceperimus dubitationes, quae maxime contra *ipsas* has narrationes proferuntur. Sed supersunt etiam nunc nonnulla dubia, *argumentum* maxime, quod iis continetur, spectantia. Quae nisi solvere possimus, placitum nostrum jure rejecisse quam plurimi existimandi erunt. Hoc igitur jam aggrediamur, et, prouti hucusque ponendo maxime et confirmando processit disputatio, ita nunc refutando eadem pergat.

Crisin autem instituentibus inter multas, quas adversarii moverunt, difficultates, duplex nobis se offert earum genus. *Aliae* enim objectiones repetuntur e pugnâ, quae inter nostram rem intercedit, et alia, quae *vel* in Codice Sacro invenimus, *vel* inter Christi cultores observamus, effata atque sententias; *aliae* contra e silentio derivantur, quod de nostrâ re et Jesus et Apostoli servarunt. *Illae* iterum distinguuntur in objectiones *Historicas, Criticas, Exegeticas, Dogmaticas* (1). *Historicae* derivantur ex *Ebionitarum, Gnosticorum*, aliorum, de nostrâ re sententiâ; quae quid valeant, in introitu vidimus. *Criticae* moventur contra narrationum nostrarum authenticam; has vero objectiones supra (Parte II. Cap. I. Sect. I.) jam refutare studuimus. *Dogmaticae* aptius pertractari possunt in Parte III., ubi de industriâ in argumenti nostri momentum dogmaticum inquiremus. Remanent igitur in classe priori objectiones *Exegeticae*, de promptae illae e pugnâ nostrae rei cum aliis nonnullis rerum momentis, in narrationibus Euangelicis obviis. De his igitur *primum* videamus.

SECTIO I.

OBJECTIONES EXEGETICAE.

§ 1.

Repugnantia in tabulis Christi genealogicis.

Primum autem hic in censum venit discrimen, quod inter utramque obtinet Christi tabulam genealogicam.

(1) Vid. WEGSCHEIDER, *Theol. Dogm.* § 123.

Quaestionem adeo aggredimur tritam atque implicitam, quâ nulla fere, me iudice, in narrationum Euangelicarum interpretatione vel difficilior invenitur, vel multorum naufragiis notior. Ne autem naufragiorum numerum nostro augeamus, ea tantum commemoremus, quae maxime necessaria videantur. Caetera lubenter missa facimus de re, tam saepe acriter agitatâ, ut nunquam ad *certum* exitum eam perduci posse existimaverim. Neutrius igitur tabulae computandae rationem aut fidem historicam datâ operâ exponemus: id unice persecuturi, utrum jure ex earum discrimine argumentum proferri queat, ad mirificum Christi ortum impugnandum.

Ejusmodi autem ex iis argumentum depromserunt non *Mythicae* tantum, sed et *Naturalis interpretationis* patroni. Quum enim hae tabulae aperte Jesu originem e DAVIDE per JOSEPHUM derivent, sequitur, adversariis monentibus, *vel* ex ipsorum horum auctorum sententiâ Jesum JOSEPHI filium habendum esse, *vel* has tabulas genealogicas in quaestione de Jesu origine humanâ dirimendâ nil prorsus valere. Hanc autem sententiam, variâ ratione exornatam, et SCHLEIERMACHERUS et STRAUSSUS exposuerunt, plures Rationalismi patronos secuti (1). Quid igitur nobis de utraque tabulâ genealogicâ videatur, brevissime exponendum est. Memorata enim objectio hoc maxime urget, utramque tabelam JOSEPHUM spectare: quod nobis minime ita videtur.

(1) Vid. STRAUSS, *Leben Jesu*, Tom I: § 27., SCHLEIERMACHER, *Glaubenslehre* II § 97. p. 71. Addatur SCHMIDT, *Bibliothek für Kritik und Exegese*, I. p. 403. et WEGSCHEIDER, *Theol. Dogm.* § 123. annot. d.

Fuerunt quidem, qui utramque inter se conciliari, et ad eundem hominem referri posse putarent, *leviratu* in auxilium vocato (1). Sed hanc rationem ingeniosissimam nullo fundamento niti, et nimis quoque artificiosam esse, plurimi monuerunt. Quid? quod unus leviratus non sufficit ad pugnam tollendam; unde et magis ad idem remedium *ter* recurrendum esse existimat. Neque tamen, hoc remedium rejicientes, statim iis auctoribus calculum adjiciendum esse censemus, qui uberiorem hujus rei disquisitionem inutilem habeant, nostrasque tabulas aliquando in harmoniam redigi posse acriter negent; unde statim procedunt ad earum historicum characterem denegandum (2). Hi enim nodum non solvunt, sed dissecant. Nobis hucusque maxime placet sententia eorum, qui LUCAE catalogum ad MARIAM referunt, MATTHAEI vero ad JOSEPHUM. Quae sententia non tantum *et* simplicitate *et* auctoritate *et* antiquitate commendatur; sed et aliorum argumentorum numero haud spernendo (3). Nova quidem argumenta his addere non possumus, nec difficultatibus hanc premi sententiam negamus, sed vel sic tamen haec mihi optima videtur quaestionis componendae ratio. Ne autem aliorum rivulis nostros hortulos nimium irrigemus, aut citationum copiâ lectores absterreamus, brevissime tantum indicabimus argumenta, quibus haec sententia nitatur.

(1) Vid. in primis HUG, *Eintl.* II. p. 233.

(2) Quorum auctorum catalogum tradit STRAUSS, I. I. p. 177. et WINER, *Real — Wörterbuch*, I. p. 660.

(3) Ita HELVICUS, SPANHEIM, BENGEL, HEUMAN, PAULUS, KUINOEL, KNAPP, OLSHAUSEN, alii.

Primum quidem satis apparet, alteram tabulam ab alterâ plane differre: nulla fere convenientia inter utramque cernitur, si a ZERUBABELIS atque ZALATHIELIS nominibus discedas, quae tamen, utpote inter Judaeos vulgaria, non necessario ad easdem personas referendae sunt. Imo justam admirationem excitaret, si in tanto nominum numero e diversis familiis, nulla prorsus convenientia cerneretur. *Deinde*, varia nomina a LUGA non conjunguntur verbo ἐγέννησε, sed articulo τοῦ. Hanc autem vocem alium etiam, quam patrem naturalem spectare posse, e Cap. III: 38. apparet, ubi Ἀδάμ, τοῦ Θεοῦ dicitur. Porro, verba: ὡς ἐνομιζέτο τοῦς Ἰουδαίοις, plane inepta forent, nisi in parenthesi essent ponenda. Jam vero εἶναι et νομιζέσθαι sibi invicem opponuntur, ad distinguendum inter eum, cujus proles Sospitator habebatur, et eum, cujus progenies revera erat. Verba igitur τοῦ ἰλλί interpretanda censemus de Christo, HELI nepote. Si quacras, quare non ipsius etiam MARIAE in hoc Catalogo mentio injiciatur, respondendum est, Judaeos in tabulis Genealogicis non solere matrum respectum habere. Quod autem LUCAS, contra morem vulgarem, matris Genealogiam tradit, minus absurdum videbitur, si reputemus, eundem illum antea Cap. I. Sospitatoris originem e solâ MARIA virgine tradidisse (1). Rarum quidem est, quemquam apud Hebraeos proavi filium dici; sed apud LUCAM, qui Christum ἀπόγονον habebat, hoc minus miramur. Neque ejusdem loquendi rationis vestigia in V. T. prorsus

(1) Quod et concedit PAULUS, *Leben Jesu*, I. p. 90.

desiderantur (Vid. 2 Sam. XIX : 24.). Quid? quod LUCAS, hac in re, prouti in totâ hujus Catalogi distributione, Judaeorum moribus minus adstrictus fuisse videtur, quo fit, ut ad ADAMUM usque Catalogum suum extendat. Opponunt quidem secus sentientes, et ELIZABETHAM neptin MARIAE fuisse, et Judaicâ traditione JOACHIMUM quemdam MARIAE patrem vocari (1): sed hoc parum molestiae creat. Quod ad *prius* enim: scimus e loco 2 Chron. XXII: 11, sacerdotibus licitum fuisse, ex aliâ quoque tribu uxorem ducere, atque adeo ELIZABETHAM ad JUDAE tribum pertinere potuisse; *posterior* vero traditio nullâ pollet auctoritate, nisi forte τὸ Ἑλὶ e nomine ἑλιεὺ fluxisse statuas, hoc autem cum nomine JOACHIMI fere convenisse. Quin ipsi Judaei in Talmude Hierosolymitano MARIAM memorant filiam HELI, Gehendae cruciatibus vehementissimis traditam. De MARIAE autem origine Davidicâ, nisi e Luc. I: 26, certe e sect. 32. comparatâ cum sect. 35. (2) certissime constare mihi videtur.

Sed vel sic tamen quaestio remanet, quare MATTHAEUS, cui constabat de Jesu e matre virgine ortu, JOSEPHI tamen Genealogiam tradiderit? Auctorem enim nostrum ita Jesu e JOSEPHO originem tradere nequaquam voluisse, ex iis satis apparet, quae in Capitis I. fine dixit. Observandum autem est, Jesum JOSEPHI filium adoptatum certe fuisse: talis autem filii originem ad patrem adoptivum Judaeos referre solere. Neque in MATTHAEI Euangelio matris Jesu Genealogiam jure exspectare pos-

(1) Vid. *Euang. de Nat. MARIAE*, Cap. I. apud THILONEM, p. 317.

(2) Vid. NEANDER, l. l. p. 17.

sumus, quum in foeminarum originem rarius Judaei inquirerent. Vero simile mihi videtur, hujus Capitis auctorem Genealogiam JOSEPHI apud hujus familiam invenisse, et hanc, utpote Sospitatoris genus proxime spectantem, in suos usus convertisse. Quod sapienter eum fecisse arbitremur. Inter Christianos enim Palaestinienses, in quorum usum scripsisse videtur MATTHAEUS, haud pauci fuerunt, quos nostra res lateret, multi itidem, qui eam acriter negarent; his igitur in Jesu originem humanam inquiringibus, apte ostendi poterat, quam MATTHAEUS exhibet, tabula Genealogica (1), atque ita Jesu originem ab omni parte Davidicam, quam in Messiâ exigebant, iis luculenter probari. Quid? quod ex hac, quae exstabat, JOSEPHI Genealogiâ, causam aliquatenus derivare possimus, cur Jesus Bethlehemi nasci potuerit. Ne autem perperam intelligeretur MATTHAEUS, sect. 16. JOSEPHUM non Christi patrem dixit, sed τὸν ἀνδρα Μαρίας, ἧς ἔγενήθη Ἰησοῦς ὁ λεγόμενος Χριστός. Quapropter et illi Christi cultores, qui Jesum merum hominem haberent, e JOSEPHO ortum, MATTHAEI tamen Genealogiam rejecisse videntur, quippe quae JOSEPHUM quidem spectaret, simul vero extraordinariam Christi originem doceret. Caeterum ipsa haec JOSEPHI Genealogia indolem nostrarum narrationum historicam egregie probat. Non facile enim auctor fabulae de Jesu mirifico ortu JOSEPHI tabulam genealogicam lit-

(1) Ingeniose inter ejusmodi Genealogiam *ostensibilem* (sit venia verbo!) apud MATTHAEUM, *realem* apud LUCAM, distinxit OLSHAUSEN in *Comment.* ad h. l.

teris mandasset. Nequaquam igitur harum tabularum discrimen nostram fidem labefactat, sed vero eandem confirmat.

§ 2.

*Repugnantia in MARIAE, fratrum, aequalium
sententiâ.*

Quicumque unquam extraordinariam Jesu nativitatem impugnarunt, statim prompti erant atque parati, ut ad hoc argumentum provocarent (1). Nec mirum; si enim cum expositâ historiâ comparemus Christi matris, fratrum, aequalium sententiam effataque, hunc ortum vel silentio praetermissum, vel ad JOSEPHUM relatum videmus. Jesum illi dixerunt (Matth. XIII: 53 — 56.) τοῦ τέκνονος υἱὸν, atque rogabant: οἱ ἀδελφοὶ καὶ αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ οὐχὶ πᾶσαι πρὸς ἡμᾶς εἰσὶ; Haec Jesu origo in causis erat, quibus factum sit, ut illius sapientiâ offendebantur quam plurimi, dicentes, πόθεν τοῦτο ἢ σοφία αὐτοῦ; — Eandem ob causam eos latebat, quomodo Christus se de coelo descendisse affirmare posset, ille nimirum υἱὸς Ἰωσήφ, οὗ ἡμεῖς, ita ajebant, οἴδαμεν τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα (Joh. VI: 42.). Quid? quod et PHILIPPUS Apostolus hanc sentiendi rationem cum plerisque communem habebat (Joh. I: 46.). Ut vero de hujus opinionis vi recte judicemus, nonnulla nobis sunt observanda. Ac *primum* quidem, Jesum de industriâ ac summâ cum sa-

(1) Vid. STRAUSS, I. p. 209, et auctores ibi laudati.

pientiâ, quod postea videbimus, hac de re, dum vivebat, non locutum fuisse coram populo. *Deinde* vero laudata loca nil continere, nisi ea, quae, vagante famâ, in vulgi ore de Christi origine circumferebantur: quod *et* ex Euangelistarum narrandi ratione satis patet, *et* ab ipsis adversariis nostrae sententiae conceditur (1). Testimonium autem hominum, quorum alii Christum leviter observabant atque audiebant, alii eum odio habebant, alii ejus humili conditione offendebantur, non ejusmodi est, ut multum in nostrâ re valeat. Neque omnium Christi popularium sententiam novimus, sed ex parte tantum eos audivimus: certe non defuerunt alii, qui meliora essent edocti. *Porro*, de PHILIPPO monendum, eum ita locutum esse, brevi postquam a Jesu ad Apostoli munus vocatus, neque a Sospitatore hac de re certior redditus esset. *Tum*, illos etiam, qui Jesum Messiam filiumque DAVIDIS haberent, JOSEPHI filium eum dicere potuisse, quum *neque* mirificus ortus ad eorum de Messia notionem pertinuisse, *neque* de JOSEPHI origine Davidicâ dubitatum fuisse videatur (Vid. Joh. I: 42 et 46.). *Denique* observamus, totam historiam nostram ita comparatam atque cum aliis rerum adjunctis conjunctam fuisse, ut multos fere fugere debuerit. Tempore enim, quo MARIAE angelus apparebat, jam erat ea *μεμνηστυμένη τῷ Ἰωσὴφ* Luc. I: 27, quo fieri debebat, ut dedecus quidem ab ea removeretur, simul vero tota res tegeretur. Non multis certe, quae sibi evenerunt, narraverunt JOSEPHUS atque MARIA. Pastores autem Beth-

(1) Vid. HASE, *Leben Jesu*, § 33. et LUDWIG I. I. p. 62.

lehermitici, quibus fortasse ea miracula innotuerunt, non amplius, Christo munus auspicante, vitam degisse videntur. Et si vel non omnes id latuerit, quod MARIAE atque JOSEPHO promiserat Deus, mox post Christi natales sequebatur infanticidium Bethlemiticum, abitus in Aegyptum, Jesum inter atque JOSEPHUM, veluti patrem inter et filium, consuetudo, silentium tandem, quo idem ille puer extraordinarius triginta vitae annos transegit. His omnibus rerum adjunctis adducti plurimi opinari potuerunt, *vel* puerum evanuisse, *vel* ejus parentes deceptos fuisse, *vel* totam rem oblivioni esse dandam. Ita, ni fallor, explicari potest, unde erronea haec, quam ponderamus, sententia inter Jesu aequales extiterit (1).

Quidquid est, non Jesu aequales tantummodo JOSEPHUM ejus patrem dixerunt, verum ipsa etiam MARIA ita saepius locuta esse videtur. Jesu puero, in templo versanti, dixit: ἰδοὺ, ὁ πατήρ σου κἀγὼ ὀδυνώμενοι ἐζητοῦμεν σε (Luc. II: 48.). Qui vero exinde argumentum depromunt ad Jesu e solâ MARIA ortum impugnandum, ponant necesse est, *vel* ipsum LUCAM his verbis ea, quae supra, Cap. I: 26-38. narraverat, refutasse, *vel* MARIAM Angeli verborum jam oblitam fuisse. Cum vero neutrum horum procedat, satis apparet, MARIAE verba laudata non ad litteram esse accipienda. JOSEPHUM adeo Christi patrem dixit, quia is ipsam legitimam uxorem duxerat, et pueri curam paternam gerebat. E Jesu

(1) Quod et observat W. BROES l. l. p. 206. Minime igitur NASIO assentiri possumus, l. l. p. 54. dicenti, ejusmodi rem, si revera accidisset, innotescere Nazarethanis debuisset.

autem responso, sect. 49. suspicari licet, quemnam Ille proprii nominis patrem agnosceret. Profecto, neque aptum neque necessarium erat, hoc tempore veram Christi pueri originem in templo promulgare; inde quoque explicandum, ipsum LUCAM ad vulgarem loquendi usum hac in re sapienter se accommodasse, sect. 41. scribendo, *οἱ γονεῖς αὐτοῦ*. Quodsi exinde concludas, ipsum Evangelistam JOSEPHUM Christi patrem habuisse, huic sectioni equidem opponam verba, sect. 43, *Ἰωσήφ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ*, nec non constantem MATTHAEI loquendi rationem, scribentis: *τὸ παιδίον καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ* (Matth. II: 11, 13, 14, 20, 21.). MARIA autem, quamvis JOSEPHUM Christi patrem dicens, extraordinaria omnia, quae imo recondiderat pectore, et altâ menteolvebat, non potuit non semper recordari. Vestigia hujus rei haud plane desiderantur in vitae Christi publicae historia. Ratio certe, quâ Jesum mater tractat, opportunitate nuptiarum Canaensium (Joh. II: 3, 5.), non explicari posse videtur, nisi MARIAE aliquas notiones adscribamus de filii praestantiâ (1). Quum vero primum hoc esset miraculum, quod Christus effecit, (ea enim, quae in Apocryphis traduntur, miracula Christi domestica, nullo firmo fundamento niti videntur), nil erat, quo MARIAE de filio expectatio niti potuerit, nisi iis, quae opportunitate natalium acciderant, miraculis. Eo magis autem hoc urgendum videtur, quum JOHANNES, qui hoc MARIAE dictum memoravit, de iis, quae MARIAE olim, ante Christi natales, evenerint, plane sileat.

(1) Quod summus ille NEANDER I. l. p. 12. acute observat.

Quam superiore disputatione advertere nobis passim licuit, aequalium atque matris loquendi rationem, eam aliquatenus quoque in Jesu ἀδελφοῖς, sive *fratres* eos habeas, sive *cognatos* (1),prehendimus. Non diserte quidem JOSEPHI filium Jesum nuncupant, sed tamen tali erga optimum fratrem cernuntur animo, quali certe non compositi fuissent, si eum vi divinâ natum revera credidissent. Quid? quod JOHANNES diserte de iis tradit: οὐδὲ γὰρ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ἐπίστευόν εἰς αὐτόν, Joh. VII : 5. Jam dicat fortasse quis: quî, quaeso, fieri potuit, ut Jesu fidem denegarent illi, quibus ea, quae ejus natales praecesserant, miracula procul dubio innotuerint? Qua de re equidem sententiam rogatus, vicissim quaererem, *primum* undenam constet, MARIAM fratribus illis revera tradidisse, quae ipsi, opportunitate nascituri προσηγορίαν, evenerint? *deinde* vero si vel harum rerum non ignari fuerint fratres Jesu, nonne silentium, quo hic triginta vitae annos transegerat, eo valere potuit, ut earum sensim fuerint obliti? Observandum autem, hos fratres terrenis de Messiae regno opinionibus maxime fuisse imbutos, quibus, quominus Jesum Messiam salutarent, diutissime impediti fuisse videntur. Neque tamen ejus erant contumaciae, ut miracula Christum patrare acriter negarent. Imo, talia illius facta omnino agnoscebant: id unice ab eo quaerentes, ut publice eadem efficeret. Superbiâ ducti fuisse videntur, dubii haerentes, nec divini fratris consilium probe perspi-

(1) Vid. NEANDER, l. l. p. 12.

cientes (1). Quem vero maxime nobis opponit STRAUSSUS (2), locus Marc. III: 21. contra nostram sententiam nil probare videtur. Non absurdum enim est statuere, fratres Christi de eo sententiam aliquando fovisse, plane erroneam, eumque ab iis fanaticum hominem habitum fuisse. Quod si haec valeant ad Jesu mirificum ortum impugnandum, valent itidem ad omnia Christi miracula neganda: horum enim testes saepius fuerant Christi consanguinei, et vel sic tamen fide defecerant (3).

(1) Vid. LÜCKE, in *Comm. ad Joh.* Tom. II. p. 154.

(2) Vid. STRAUSS, I. I. I. p. 210.

(3) De loco hocce vexatissimo eam, quae nobis maxime placet, sententiam modeste in medium proferre liceat. Illi, qui hic οἱ παρ' αὐτοῦ nuncupantur, omnino Christi familiam constituisse videntur. Non enim *Apostoli a Christo missi* hic indicantur, qui jam cum ipso domum intraverant, sect. 19. neque *homines Christum circumdantes*, qui non ab eo exire potuerunt, ut eum apprehenderent, neque *Pharisaei* aut *Scribae*, quorum calumniae sect. 22. memorantur; sed, quod prae caeteris FRITZCHIUS ad h. l. probavit, Christi cognatos memorat Evangelista: quod e nexu narrationis nostrae cum locis Marc. III: 30, 31., Matth. XII: 46. Joh. VII: 3-5. abunde apparere videtur. Post ἀκούσαντες suppleverim: Jesum domum intrasse. Formula autem ὅτι ἐξέστη non ad *populum* est referenda (ita wolffius), sed procul dubio ad Christum; neque eum *exuisse*, vel *animo debilitatum esse*, vel *corporis deliquio passum fuisse prae cibi abstinentiâ*, sed eum *furore fuisse abreptum* aperte indicare videtur. Neque, quamvis hoc locum magnopere expediret, post ἐλεγον suppleri auserim τίνες. Omnino igitur familia Jesu aliquatenus Pharisaeorum calumniis aures praebuisse videtur, talia de fratre proferentium. Quod minime mirum nobis accidet, si, quantopere eorum de Christi opiniones vacillare fere debuerint, animo reputemus. Quod autem in eorum societate MARIAM quoque invenimus, sect. 31. vel ma-

Repugnantia nonnulla alia

Tandem haud desunt aliae objectiones exegeticae, e narrationibus Euangelicis maxime petitaе. Ex his etiam nonnulla delibasse, et, quoad quidem nostrum postulare videtur argumentum, refutasse, haud pigebit.

Primum hic in censum venit objectio, quam ex denominatione *εἰς τοῦ ἀνθρώπου* derivarunt nonnulli (1). Respondendum tamen, Jesum, sensu maxime proprio, ita se nuncupare potuisse, etsi a Mariâ unice originem repeteret. Et, quod in primis observandum, minime vulgari significatione hoc nomine usus fuisse videtur. Quamvis enim illud aperte *hominem* indicet (Ps. VIII: 5.), tamen de hoc hominis filio talia pronuntiat Christus, quae in vulgarem hominem minime quadrant Cf. Joh. III: 13. VII: 62. Matth. XXVI: 64. Si autem classicum locum, Dan. VII: 13. consuluerimus, statim apparet, Jesum, hac denominatione, tecte et perspicacioribus satis aperte, se ipsum Messiam profiteri voluisse. Quod *et* aequales ejus probe perspexisse videntur (Joh. XII: 34.), *et* Discipuli, qui, si quidem STEPHANUM excipias (Act. VII: 56.), hanc denominationem nunquam *aut* de vulgari alio homine adhibuerint, *aut* ad Christum, jam in coelum sublatum atque publice

ternae curae, *vel* studio optimum filium adeundi tribui potest. Et si vel probari posset, eam per brevissimum temporis punctum fide defecisse, hoc contra nostrae historiae veritatem ne flocci quidem valet.

(1) Vid. in primis WALTER, l. l. p. 17.

Messiam agnitum, retulerint (1). Unde eos errare facile apparet, qui propter hanc denominationem sententiae nostrae de mirifico Christi ortu valedicendum esse censeant.

Aliam quamdam objectionem WEGSCHEIDERUS movet (2). Eo nimirum offenditur, quod Jesus puer, eadem ac JOHANNES BAPTISTA ratione adolevisse animique virium incrementa cepisse dicatur (Luc I: 40, 52. cf. I: 80.). Quid vero ex hac verissimâ re sequatur ad nostram sententiam impugnandam, equidem non video: nisi antea probatum fuerit, origine mirificâ per Spiritum Sanctum detrimentum accepisse veram Christi humanam naturam. Qua tamen sententiâ nescio, an nihil proferri possit magis periculosum. Si nostrum placitum ad *Docetismum* necessario nos duceret, minime illud defendendum esse censerem: quid enim divinius, quam praestantia illa humana, quae in Christo cernitur? *Doceticam* vero jure nobis videmur opinionem nuncupare, qua Christum hominem, non naturali ratione, sed immodicis repentinisque motibus, culturae progressus fecisse statuatur. At profecto nequaquam ita se nostra sententia habet. Etiam si enim Christum per Spiritum Sanctum natum dicamus, simul tamen originem eum duxisse contendimus e Mariâ matre: verae igitur humanae naturae socius est habendus, atque humano purissimoque modo ad majorem mentis animique culturam processit. Quod nisi statuamus, Sospitatoris imaginem nobis

(1) Vidd. auctores laudati a WEGSCHEIDERO, l. I. p. 306.

(2) *Theol. Dogm.* § 123. pag. 448.

informamus, Apocryphorum figmento contaminatam, talem nimirum, qui, in cunis jacens: «Nolite me considerare,» inquit, «quia infantulus sum: ego enim sum vir «perfectus, et necesse est, ut ferae omnes sylvarum «mansuescant ante me» (1). Tali Christo equidem nostrum longe praetulerim, cujus summa perfectio in eo cernitur, ut puer minime virilem perfectionem retulerit, sed ut, quovis vitae stadio, perfectionem, huic propriam, exemplo ostenderit (2). Ad hanc autem humanam Christi progressionem, unice puram, nulloque vitio inquinatam, egregie valuisse mirificum ejus ortum, postea nobis probandum erit.

Aliam etiam audiamus objectionem. STRAUSSIO momente, JOHANNES non tantum de nostrâ re plane silet (qua de re infra videbimus), verum etiam ejus de λόγῳ, ὃς σὰρξ ἐγένετο, doctrina cum placito de mirifico Christi ortu aperte pugnare videtur (3). Quantum autem a specie habet commendationis haec objectio, tantum a vero plane recedit. Apud Synopticos nimirum non diversam rem, sed ejusdem rei diversam tantummodo formam cernimus. Synopticorum enim duo tradunt, Christum in hominum ordines intrasse: JOHANNES vero docet, τὸν λόγον initio cum Deo exstitisse, antequam σὰρξ ἐγένετο. Haec autem doctrina jam suspicionem nobis injicit, hunc λόγον non solâ ratione humanam carnem induere po-

(1) Vid. *Historia de nativitate MARIAE et de infantia Salvatoris*, cap. 18. apud THILONEM, p. 393.

(2) Pulcerrime hoc exposuit Cl. ULLMANNUS, *Sündlosigkeit Jesu* p. 91.

(3) Vid. STRAUSS, l. l. p. 209.

tuisse. Cui justae suspicioni suâ vice narrationes nostrae lucem affundunt, Jesum e Mariâ virgine per Spiritum Sanctum natum declarantes. Unum igitur alterum egregie illustrat. Quod vero Synoptici hanc ἐνσαρκωσὶν divinae efficacitati tribuant, JOHANNES contra ad ipsum λόγον eam referat, acquis molestiam iudicibus non creabit. Eandem ob causam Christi e mortuis resurrectionem negare posses, quia mox ipse affirmat, ἔξουσίαν ἔχω πάλιν ψυχὴν λαβεῖν (Joh. X: 18.), mox vero describitur ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρὸς (Rom. VI: 4. (1).

Ad finem hujus sectionis properandum est (2). Unam adhuc memoremus objectionem, eorum nimirum, qui pugnam aliquam animadverti censent mirificam inter Christi originem atque narrationes sacras, quae Spiritum Sanctum ei opportunitate baptismi impertitum fuisse discrete declarent (3). Si vero utraque narratio sibi invicem sit opposita, statuas necesse est, Jesum sine Spiritu Sancto triginta juventutis annos transgisse, unoque temporis puncto omni hujus Spiritus ubertate fuisse imbutum. Qui vero ita statuatur, *Gnosticorum* sectae nomen dedit. Nemo autem sanus id

(1) Uberius hoc exposuerunt Clar. P. HOFSTEDE DE GROOT, l. I. p. 17, 18. et OSLANDER, *Apologie des Leben Jesu*, p. 91.

(2) Silentio praeterimus objectionem, quam profert LUDWIGIUS, l. I. p. 56. e denominatione *νόος τοῦ Δαβὶδ*. Nam nisi *Messiam* hoc nomine indicari statuas, de Jesu origine Davidicâ satis constat, si vera sint, quae § 1. hujus sectionis disputavimus.

(3) Vid. DE WETTE, *Biblische Dogmat.* p. 243. STRAUSS, l. I. I. p. 451. sqq.

sibi finget, Jesum προκόψαι σοφία και χάριτι παρὰ θεῶν καὶ ἀνθρώποις, sine Divini Spiritus efficacitate. Quod si obtinisset, JOHANNI BAPTISTAE esset postponendus, de quo scriptum est, πνεύματος ἁγίου πλησθήσεται ἔτι ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ (Luc. I: 15). Hujus loci non est, narrationes sacras, de Jesu baptismo exponentes, explicare, quod jam alii egregiâ ratione fecerunt (1). Qualicumque vero ratione eas accipiendas esse censeas, nil revera continent, quo nostrae sententiae obstant. Si vel *objectivo* sensu eas explices de phaenomenis externis, quibus ad munus Christus est inauguratus, non video, quomodo Spiritus Sanctus, in Christum effusus, ejus per Spiritum ortum tollere possit. Loco enim Luc. I: 35. non docemur, Spiritus Sancti omni ambitu eo jam tempore Christum imbutum fuisse, sed illius efficacitati Sospitatoris originem humanam esse adscribendam. Si vero *subjectivâ* q. d. ratione historiam baptismi interpreteris de visione, qua Baptistae de Jesu dignitate constiterit, cum nostrâ re minorem etiam conjunctionem habet. Quidquid est, si bono Marte hos aliosve nodos, in scirpo quaesitos, solverimus, non mihi id tribuant lectores, sed veritatis vi atque auctoritati, cui nullus facile mortalium constanter reluctari queat.

(1) Vid. Doct. PRINS, Dissertatio de hoc argumento L. B. 1838. et auctores, quos laudat HASE, *Leben Jesu* § 54.

SECTIO II.

OBJECTIONES, E JESU ATQUE APOSTOLORUM SILENTIO.

Restat tamen gravissima difficultas, quam ad unum fere omnes moverunt, quicumque mirificum Christi ortum impugnandum esse censuerunt. Provocant hi ad altissimum silentium, quod de nostro argumento (paucissima si exceperis eaque dubiae fere interpretationis dicta), servarunt Jesus atque Apostoli. Nec negamus, hanc quaestionem primo obtutu multum difficultatis nobis parere. Nolumus iccirco mittere argumentum, in quo explicando versamur, antequam nobis constiterit, quomodo hac de re sit statuendum. Sic omnino fore speramus, ut firmissimum, quo nostra fides nititur, fundamentum plane perspectum habere nobis liceat. Quem finem ut consequamur, age! *primum*, quae ad nostrum argumentum referri possint, N. T. loca, crisi accuratiori subjiciamus, *deinde* vero in causas inquiramus, quare hujus mirificae originis uberiores non injecerit mentionem ipse Christus: *tandem* exponamus, quare Evangelistae atque Apostoli tam raro hac de re loquantur. Qua in disputatione, quod facile apparet, saepius ad conjecturas erit recurrendum, saepius itidem non ad omnes quaestiones responderi poterimus. Nonnulla igitur in medium protulisse sufficiat, quibus rem difficillimam atque gravissimam explicare possimus.

§ 1.

N. T. loca, quae ad nostrum argumentum spectare videantur.

Primum quidem hîc in censum venit dictum JOHANNIS, quod Cap. I: 13. occurrit, maxime memorabile illud. Exposuerat sect. 11, 12. quomodo ad τὰ ἴδια pervenerit Christus, ab his vero repudiatus sit. Nec tamen omnes ejusmodi quid erga eum commiserant. Erant etiam, qui laete ac pie promissum Sospitorem exceperant: his autem ἐξουσίαν ἔδωκεν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι. Horum igitur indolem et characterem uberius exponit Apostolus: οἱ, inquit, οὐκ ἐξ αἱμάτων, οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκός, οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρός, ἀλλ' ἐκ Θεοῦ ἐγεννήθησαν. Verba haecce a variis variâ ratione explicata sunt. Nos eam tantum rationem exponemus, quae simplicitate, contextâ oratione et verborum verâ significatione maxime commendetur. Characterem τῶν τέκνων Θεοῦ duplici ratione tradit Apostolus: *positivâ* nimirum q. d. et *negativâ*. Hanc tripartitam proponit; alteram autem negandi formulam, repetitâ particulâ οὐκ, οὐδὲ, οὐδὲ, alteri annectit. Particulae autem illae non eo valent, ut alteram negandi formulam alteri opponant, atque τριζοτομίαν quamdam constituent, omnibus numeris absolutam: sed ut prior negationem sequentes confirmet atque illustrent. Nequaquam igitur id agit Apostolus, ut varias partes exponat, quas uterque sexus in sobolum procreatione tenet, nam vox σὰρξ minime *mulierem* respicere videtur (neque alibi in N. T. hoc sensu occurrit haec vox,

neque loco Eph. V : 29. ubi contextus vocem de uxore intelligi jubet, non vero ipsa vox hujusmodi quid significat). Formula οὐκ ἐξ αἱμάτων significat, eos non ex hoc terrestris vitae principio natos esse, quod ad prolis procreationem conferat uterque parens. Neque nati sunt ἐκ θελήματος, i. e. ἐπιθυμίας σαρκῶς non e carnali illâ concupiscentiâ, qua ad genus propagandum parentes soleant incitari: neque ἐκ θελήματος ἀνδρός non e cupiditate, cui vir in re venercâ se regundum praebet. Non adeo humanâ hac origine insignes ἀλλ' ἐκ θεοῦ nati sunt: a summo hocce eodemque coelesti Patre, cujus per Christum τέκνα ἐγένοντο, ortum repetunt. Perperam lectionem ἐγεννήθησαν in ἐγεννήθη mutavit IRENAEUS, de Christi ortu locum explicans. Ita enim scribit (1): «is, qui non ex voluntate viri, neque ex «voluntate carnis natus est, est filius hominis, Christus, «filius Dei.» Omnino ad hujus natales hoc loco alludi videtur. *Primum* enim ad hanc notionem filiorum Dei informandam nescio quid JOHANNEM incitasset, atque undenam talem descriptionem hausisset, nisi mirificae Christi originis cogitatio ejus mentis oculo observata fuisset; ἐκ θελήματος ἀνδρός enim jam originem duxerant τέκνα θεοῦ, hanc vitam naturalem degere incipientes. Quod autem hanc potissimum originem iis abnegat, quos ἐκ θεοῦ natos dicebat, optime explicabimus, si statuamus, unum illum discipulo innotuisse, qui οὐκ ἐκ θελήματος ἀνδρός, ἀλλ' ἐκ δυνάμεως θεοῦ natus esset. *Porro* formulâ οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκῶς quid sibi velit JO-

(1) Vid. IRENAEUS *adv. Haer.* III. c. 21.

HANNES, ipse indicat, Cap. III. 6, Jesu verba referens, atque ita origini ἐκ σαρκὸς ortum ἐκ πνεύματος opponens; sed haec iterum plane respondent iis, quae de Mariâ traduntur: τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν ἐκ πνεύματος ἐστὶν ἄγλου. Tandem verborum nexu nostra commendatur sententia. In praecedentibus enim jam de Jesu in hunc mundum adventu locutus erat, sect. 11, 12. Nostrâ autem sectione apte transire videtur ad divinam Verbi gloriam adumbrandam, sect. 14. dum in hac sede terrestri versaretur. Unde congruum omnino erat, filiorum Dei descriptionem a ratione petere, qua ipse summus Dei filius in hocce stadium terrestre intrasset (1).

Quem obscure a JOHANNE tangi vidimus, mirificum Christi ortum, diserte exponi a PAULO nonnulli statuunt loco Gal. IV: 4, ubi, datâ operâ, Christum describit, non tantum γενόμενον ὑπὸ νομῶν, sed et γενόμενον ἐκ γυναικος. (Vulgata enim lectio γενόμενον mihi non in γενόμενον mutanda videtur.) Quaeritur iccirco, utrum vox γυνῆ hîc sensu latiore sit accipienda, quo indicetur, Sospitatore, vulgari ratione, e muliere originem duxisse: an vero strictiore significatione de Jesu, e virgine orto. Neque dici potest, posteriori sententiae N. T. loquendi usum repugnare, locis enim Matth. I: 20. et Luc. II: 5. vox γυνῆ de Mariâ, virgine sponsâ, adhibetur. Mihi tamen prior explicandi ratio magis arridet. Homo enim e muliere natus dicitur, ubi humani generis infirmita-

(1) Vid. Cl. HOFSTEDE DE GROOT I. I. p. 15, cujus egregiam loci interpretationem tuto sequi posse videbar. Cf. et Ven. J. AB UTRECHT DRESSELHUIS, I. I. p. 93.

tem atque tenuitatem describunt sacri scriptores. (Vid. e. g. Job. XIV: 1. Matth. XI: 11.) Haec autem significatio egregie cum sequenti formulâ concinere videtur: *γενόμενον ὑπὸ νόμον*. Apostolus nimirum in eo versatur, ut Christi cultores proponat, antea lege oppressos, nunc vero per Christum ex hac servitute redemptos, atque τὴν *υἰοθεσίαν* nactos. Quem in exitum id urget, Christum ejusdem conditionis participem existisse, a qua homines liberare voluerit. Ut nos adeo, e mulieribus nati, τὴν *υἰοθεσίαν* acciperemus, ipse Dei filius e muliere natus est; ut nos, sub legis jugo gementes, liberaret, ipse ὑπὸ νόμον ἐγένετο. Hoc autem loco PAULUM peculiarem vim origini Christi e virgine adscripsisse, non apparet. Contra hujus rei mentio orationis nexum magis impediret, quia hoc nomine a caeteris hominibus diversus existit Jesus. Sensus igitur nostri loci plane convenire videtur cum Hebr. II: 14, ubi: ἐπεὶ οὖν, inquit auctor, τὰ παῖδια κεκοινωνήκατε σαρκὸς καὶ αἵματος, καὶ αὐτὸς παραπλησίως μετέσχε τῶν αὐτῶν. Posteriore hoc loco pura Christi natura humana refertur ad ejus mortem hujusque effectum salutarem, *nostro* vero ad *υἰοθεσίαν* atque liberationem nostram a lege Mosaicâ spectat.

Minore etiam jure ad nostrum argumentum refertur locus in Ep. ad Hebr. Cap. VII: 3, ubi MELCHIZEDEGUS, quem Christi typum habet Epistolae auctor, describitur tanquam ἀπάτωρ. Statim enim in oculos occurrit, sequentia ἀμήτωρ atque ἀγενεαλόγητος cum tali interpretatione pugnare; praeterea verborum nexus satis docet, hîc non de MELCHIZEDECI origine humanâ agi, sed de eius munere sacerdotali.

Tandem hîc in censum fortasse venit locus Paulinus, Rom. I: 3. ubi Christus describitur, ὁμοθεὶς υἱὸς Θεοῦ ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιοσύνης. Quae verba primo obtutu aliquam convenientiam habent cum Angeli verbis, Luc. I: 35, accuratius vero spectata, me quidem iudice, longe ab his differunt. Verba enim κατὰ πνεῦμα ἁγιοσύνης, quomocumque ea explices, opposita sunt phrasi κατὰ σάρκα, sect. 3. neque igitur ad Christi corporis originem referri posse videntur. Accedit, quod haec verba arctissime cohaerent cum formulâ ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, unde quid sibi velint, sponte apparet. Quapropter hunc locum nequaquam ad nostrum argumentum referendum esse censemus (1).

Haec, ni fallor, praecipua habentur N. T. loca, quae placiti nostri iudicia continere censeantur (2). Si ea attulissemus, ut, armis undique collectis, causam nostram tueremur, non eorum plura rejecissemus. Nunc vero, praepudicatis opinionibus vacui, eorum probandi vim exponere conati sumus; qua de re, quae potuimus, dedimus, aliorum sententiam intactam relinquentes, eamque, ubi ab eâ recedendum putaremus, magni tamen facientes. Apparuit igitur, summo jure ab adversariis objectionem fuisse propositam, quae ex Jesu Apostolorumque de nostro argumento silentio ducatur.

(1) Locum huncce *contra* nostram rem attulit WALTERUS, l. l. cui se opponit OERTEL in *Anti-Josephismo*, Berolini 1792.

(2) Quamvis haud negligenda sint levissima rei vestigia, in nonnullis Jesu dictis obvia, c. g. Luc. II: 48, 49. Joh. VI: 41. Joh. X: 36. alia.

Jesu mirificum ortum defendentibus incumbit jam nobis officium, hujus silentii causas terminosque exponere. Ab ipso Sospitatores incipiamus.

§ 2.

Jesu de mirifico suo ortu silentium.

Objectionem, quae e Jesu silentio repetitur, admittentes, ponere videmur, Sospitatorem revera altissimum de hoc argumento silentium servasse, quod Euangelistarum imitentur narrationes. Fortasse quospiam mirari subeat, nos ita statuuisse. Concedunt illi quidem, Jesum de hac re non exponentem informari in Euangelistarum narrationibus; sed putant, hanc rem ab ipso Sospitatores saepius aut fusius fuisse expositam, Euangelistas vero tales Jesu sermones silentio praeteriisse. Per se spectata, haec sententia nihil absurditatis continet, contra vero, quum constet, Jesum plura dixisse atque fecisse, quam quidem tradiderint Euangelistae, veri prae se ferre speciem videri potest. Nobis tamen minus placet. Nimirum, saepius Jesu *consilium* quoddam deprehendere nobis videmur, rem magis tegendi, quam explicandi. Tale enim consilium ei jure adscribimus, cui saepius ad uberiores expositionem opportunitas adest, qui vero hac non utitur. Occasionem autem hanc, Jesu saepius oblatam, semper vero ab ipso dimissam videmus. Cujus rei plura nobis exstant exempla. Judaei (Joh. X: 24.) ab ipso documentum quaerunt, quo revera iis constet, illum Dei esse filium; ille vero semper provocat ad

τὰ ἔργα, quae faciebat, nunquam vero ad mira primordia vitae. Susurrant Judaei, quum de se ipse affirmaverat (Joh. VI: 41.): ἐγὼ εἶμι ὁ ἄριστος ὁ καταβάς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ cum hoc effato non conciliare possunt, quae iis de ejus familiâ terrestri innotuerant: nec tamen ipsam rem vel vindicat, vel exponit Christus, sed offensionis hujus causas exponere pergit (sect. 43, 44.). Ob ignobilem, qua erat, originem eum rejiciunt Nazarethani (Matth. XIII: 54-57.): neque tamen mirifico ortu exponendo, sed proverbio asserendo, Christus rem explicat. Haec si perpendamus, jure videmur statuere, Christum de industriâ id, quod tractamus, vitae divinum initium aequalibus non exposuisse (1). Causae autem hujus rei, me quidem iudice, cernuntur *et in aequalium notionibus, et in eorum animo, et in ipsius rei indole, et in praecipuo, quod spectabat Jesus, consilio.* De singulis verbulo moneamus.

Ad aequalium Christi *notiones* primum provocantes, id in primis urgendum censemus, extraordinariam e virgine originem non ad notionem de Messiâ pertinuisse, quae eo tempore vigeat. Quod supra jam apparuit, ubi de loco Jes. VII: 14. egimus. Confirmatur etiam haec nostra sententia, si ad *Ebionitarum* de nostrâ re

(1) Apparet, nos calculum adjicere non posse ingeniosae Ven. DRESSELHUIS conjecturae, qui l. l. p. 201. uberius nostrae rei expositionis vestigium deprehendit in loco Joh. IV: 42. cum Luca II: 11. comparato. Jesum de nostrâ re fusius exposuisse, statuit quoque SCHUBERT: *de infantiae Christi historiae authenticâ et integritate*, p. 131. quem laudat LUDEWIG, l. l. p. 93. quod tamen opus inspicere mihi non contigit.

opinionem attendimus. Jesus igitur, de Messianâ suâ dignitate aequales certiores reddere studens, non necessario provocare debebat ad rem, quam tanquam hujus dignitatis documentum non exspectabant (1). Quo apparet, nos cum iis facere non posse, qui statuunt, Jesum, si haec res revera obtinisset, inter aequales eam promulgare debuisset (2).

Majoris autem momenti videbitur ad Judaeorum *animum* atque *characterem* attendere. Ita enim sponte apparebit, Jesum de nostrâ re non tantum silentium servare potuisse, sed et summâ cum sapientiâ fere debuisset. Animo enim erant Judaei erga Christum inimico atque contumaci. Omni qua poterant ratione eum laedere atque calumniari studebant. Fabri JOSEPHI filium eum habentes, offendebantur tenui ipsius vitae conditione.

(1) Non obstat nostrae sententiae locus Joh. VII: 27. ubi nonnulli hanc Messiae notam characteristicam constituunt: ὁ δὲ χριστός, ὃταν ἐρχηται, οὐδεὶς γινώσκει πόθεν ἔστιν. Quamvis enim illud πόθεν non de loco unde, sed de parentibus, e quibus Messias originem duceret, explicaverim (cf. Joh. VII: 42.), minime hic deprehendi videtur documentum, quo constet, Judaeos de Messia ἀπάτορι cogitasse. Nam sententia, hic proposita, et paucorum tantummodo est, et e Jesu responso, sect. 28, 29. (οἴδατε πόθεν εἰμὶ), ad originem humanam *in genere* restringenda videtur, non vero ad *patrem* speciatim, utpote quem e Jesu mente non cognoscebant: JOSEPHUM enim hunc habebant. Locum cum LÜCKIO II. p. 175. potissimum interpretarer de hac Judaeorum sententiâ, qua statuebant ELIAM (Matth. XVII: 10.) ante Messiam apparere debere: ad *illius* vero usque adventum, ignotum fore, quis Messias esset et undenam oriundus.

(2) Ita quoque statuit PHILALETHES in KLEINII et SCHRÖTERI *Oppositionsschrift* IV. 3. p. 423.

Quanto magis optimum Sospitorem turpissimis calumniis aggressi fuissent, si eum nullius humani patris ope natum scivissent (1). Quam iniquitatem nullâ ratione melius praecavere potuit Sospitator, nisi altissimo silentio de omni hac re servato. Quid? quod si Christum non calumniati fuissent, certo tamen huic ejus asseverationi fidem denegassent. Siquidem enim, quae videbant, miracula vel rejiciebant, vel Daemonibus tribuebant, nonne multo magis etiam miraculum, quod nos tractamus, contumeliose rejecissent?

Rei autem nostrae *indoles* hujusmodi fere erat, ut facilius eam silentio praeterire potuerit Christus. Erat enim res, quae, ipso etiam nunc vivente, roganti nemini probari poterat argumentis, omni dubio majoribus. Angelophaniis, quae ejus parentibus contigerant ante ejus natales, nulli alii interfuisse videntur. Cujusnam igitur testimonium hac in re valeret? An ipsius Jesu? At vero, reponerent Judaei, *σὺ περὶ σεαυτοῦ μαρτυρεῖς, ἡ μαρτυρία σου οὐκ ἔστιν ἀληθής* (Joh. VIII: 13.). Aut ipsius Mariae potius? Sed qua, quaeso, ratione casta Jesu mater, quae ipsi contigerant sancta inimicorum scurrili joco exponere potuisset? Quanam ratione narrationis veritatem probasset, honori consulisset, innocentiam atque puritatem vindicasset? Tunc certe non CELSI, sed ipsius Jesu tempore (2) fabula exstitisset de PANTHERA

(1) Hujus malignitatis exemplum offert *Euang. NICODEMI* Cap. II. (apud THILONEM p. 527.), ubi Judaei informantur, Jesum calumniantes, quod e fornicatione natus esset: duodecim vero alii viri, se Mariae desponsaliis interfuisse dicentes.

(2) Ex eo autem, quod tempore Christi ejusmodi calumnias nondum

ali oves nefario homine, nec adulterii flagitium a Mariae purissimâ famâ averruncari potuisset. Hoc igitur praecavere, *et* piaie patris memoriae, *et* dilectissimae matri, *et* vero sibi ipsi debuit Christus. Silentium igitur nunquam interruptum servavit. Quod facilius etiam facere poterat, quum hic mirificus ortus aequalibus minoris momenti esset, quam quidem nobis. Mentem explicare juvat. Nobis, Christi resurrectionem atque in coelum reditum agnoscentibus, omnisque vitae Christi harmoniam divinam probe perspicientibus, maximo pretio est habendum extraordinarium illud vitae initium. Si vero hanc rem jam accepissent Christi aequales, eos haec harmonia latuisset, rei consilium fugisset, imo aenigmatum, quae in Christo animadvertebantur, numerus auctus fuisset. Nos enim rem nostram cum Christi fati, doctrinâ, consilio conjungere possumus: illi vero rem *per se* spectassent. Nil conferebat igitur, hanc vitae Christi partem ejus aequalibus tradere.

Provocamus tandem ad illud, quod Jesus sibi proponebat, *consilium*. In eo nimirum cernebatur, ut aequales ipsum haberent τὸν ζωστὸν, τὸν εἶδὸν τοῦ θεοῦ (Joh. XX : 31). Hanc fidem *cum* ipsius institutionis praesentia (Joh. VII: 17.), *tum* miraculis patrandis, *tum* V. T. auctoritate (Joh. V : 36. sqq.) in iis excitare studebat. Si

memoratas invenimus, novum oriri videtur argumentum, ex quo appareat, ipsum Jesum de nostrâ re plane siluisse. Cum Cl. NEANDRO l. I. p. 9. opinor, Evangelistas tales criminationes non praeterituros fuisse, quales plures Christo imputasse inimicos diserte tradunt. vid. e. g. Matth. XII : 24. Joh. X : 20. Quid? quod vestigium calumniationis, nostram rem spectantis, fortasse inest loco Joh. VIII 41.

his autem documentis evidentissimis non morem gerent, quo nomine argumentum admisissent, quod ex ejus mirifico ortu deprobi posset? Divinum patrem iis patefacere volebat (Joh. XIV: 6-9.), et, qualis Ille esset, vitâ factisque exprimere, ut ita intimam ejus cum patre conjunctionem ipsi perspicerent (Joh. XVII: 22, 23.). Si autem ipsam hanc conjunctionem obtinere non suspicarentur, quo fructu ad ejusdem prima initia escendisset? Personae suae sublimitate atque efficacitate eorum animos ad se trahere volebat: quid autem fidem amoremque recusantibus profuisset vitae primordiorum notitia? Rem adeo non exposuit. Primum divinae vitae harmonia, ubertas, sanctitas in omnium oculos incurrere debuerunt: deinde demum harum initium in mirifico ortu observandum esset. Quid? quod, si qui essent perspicacioris ingenii aequales, rem ex Jesu dictis factisque aliquatenus fortasse divinare potuerunt.

Quaeri tandem possit, utrum ipsos Apostolos hac de re meliora edocuerit Christus? *Ante mortem* hoc eum fecisse, haud putaverim. Pertinebat enim ad τὰ δεινότερα, quorum nondum capaces erant (Joh. XVI: 12.). Ita, initio saltem, PHILIPPUM, JOSEPHI filium eum habentem, non reprehendit (Joh. I: 46.). Postquam vero e mortuis in vitam redierat, vitae Christi harmoniam atque consilium magis perspexisse videntur Apostoli. Varia jam iis tradidit Christus, et cum iis locutus est περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ (Act. I: 3.). Aptum jam videri poterat, hujus regni conditoris primordiis uberiores lucem affundere. Et si vel hoc non exposuerit Christus, tamen post ejus abitum in coelum optime iis hac de re constare poterat.

Divino Spiritu collustrati, Christique totam personam continue intuentes, non poterant non extraordinariam ejus originem suspicari. Hanc autem revera obtinuisse, historicâ viâ perscrutari poterant. In promptu erant fontes, Mariâ adhuc vivente. Quos fontes in suos usus converterunt MATTHAEUS atque LUCAS, quod antea demonstravimus.

§ 3.

Apostolorum de nostro argumento silentium.

Quum igitur Apostolis de re, quam tractamus, probe constare potuerit, id jure ab iis expectari posse videtur, quod eam merito loco haberent, Jesuque silentium uberiore expositione compensarent. Contrarium vero obtinet. Altissimum silentium de nostro argumento servare solent, et, si utramque MATTHAEI atque LUCAE narrationem excipias, nullum fere in N. T. libris ejus vestigium cernitur. Nisi igitur causae gravissimae proferri possint, quibus hoc silentium explicetur, fides nostra vacillet necesse est. Res enim, quam agimus, cum Christi vitâ, fati, divinâque naturâ tam arcte est conjuncta, ut eam fere praeterire haud potuerint. Ex Euangeliorum igitur et Epistolarum indole atque characterem has causas elicere studebimus.

Quod ad duorum Euangeliorum silentium attinet, in antecessum monendum est, *cum* multa gravissimaque Christi facta atque fata ab Euangelistis silentio praetermitti, neque tamen idcirco ea rejici, *tum* historiam

nostram e privatis fontibus hauriendam fuisse, quae non omnibus patuisse videntur, *tum* vero etiam hanc rem non pertinuisse ad *κύκλον* illum historicum, quo limitabatur Apostolorum de Christo testimonium. Illi enim haec potissimum tradebant, quorum ipsi *αὐτόπται* fuerant, initiumque praedicationis fecisse videntur a JOHANNIS Baptismate (Act. I: 22^a). Quid? quod quae nostris narrationibus contineantur ad Mariae magis quam ad ipsius Jesu historiam referri possent, et vitae publicae, resurrectionis in primis splendore multo superarentur.

Ad MARCUM singulatim quod attinet, ille a JOHANNIS BAPTISTA Euangelii initium duxit. Ab hoc enim tempore Jesu Messiae historia publica incepit. Quod autem nostram rem non exposuerit, minime mirandum est. Nam Euangelium, ut videtur, conscribens in usum Christianorum, e gentibus oriundorum, Romaeque degentium, non necessarium duxit, vitae primordia CHRISTI his uberius exponere. Hos enim *neque*, ostensâ Genealogiâ, de origine Davidicâ Messiae certiores reddere, *neque*, vaticinio e V. T. laudato, de extraordinario ejus ortu convincere, *neque* Angelophaniâ narratâ, quae ad Palaestinensem familiam quandam pertinebat, de Sospitatoris excellentiâ edocere potuit. Mirari quidem aliquis posset, ad summam inter MATTHAEUM atque MARCUM convenientiam attendens, duo priora MATTHAEI Capita a MARCO silentio fuisse praetermissa: sed observandum tamen, *et* MARCUM nequaquam dicendum esse MATTHAEI epitomatores, *et* nondum satis esse probatum, nostrum MATTHAEI Euangelium MARCO un-

quam in manus venisse. Convenientia enim, quae caeteroquin inter utrumque Euangelistam intercedit, optime ex eo explicari posse videtur, quod eosdem fontes consuluerint utrique.

JOHANNIS vero silentium nostro de argumento primo obtuto explicatu difficilius videatur. Quis enim accuratius hac de re exponere potuisset, quam ille, qui a JESU prae caeteris dilectus, ejusque in sinum receptus, ipsius divini praeceptoris matrem, post filii resurrectionem, consortii domestici vinculo secum conjunctam habuit? (Joh. XIX: 27.) — Ad quod aenigma solvendum, *tria* potissimum nobis observanda videntur. *Primum* quidem, non opus fuisse, ut haec res a JOHANNE uberior exponeretur. Si enim CLEMENTIS *Alexandrini* atque EUSEBII traditioni fidem habere possimus ⁽¹⁾, JOHANNES Euangelium conscripsit suum, editis jam Synopticis, atque haec cognita habuit: ex his vero jam constiterat de Christi mirifico ortu, neque adeo hoc repetiit JOHANNES. *Deinde* vero ad Euangelii Johannei *indolem atque characterem* attendendum. JOHANNES enim non multus fuit in miraculis enarrandis. Christum tanquam *τὸν λόγον* maxime depinxit, aptiusque duxit hujus originem divinam, atque praec-existentiam apud Patrem exponere, quam quidem mirifica hominis Jesu primordia tradere. JOHANNI porro hoc proprium videtur, ut Christum non adeo tanquam Messiam populi Judaici, sed potius

(1) Vid. EUSEB. *H. E.* Libro III. c. 24. CLEMENS *Alex.* apud EUSEB. IV: 14. Cf. HUG, *Einleitung in das N. T.* II. p. 203.

tanquam generis humani σωτηρία describeret (1), Deique perfectissimam imaginem in eo cerneret (Joh. I: 14. XIV: 8, 9.): hanc vero maxime in ipsâ Christi vitâ fatisque suspexit, unde vitae *publicae* historia ei summi momenti videri deberet. Tum, hoc sibi proposuit, ut ea tantum, quae viderat atque audiverat ipse, de Christo annuntiaret (1 Joh. I: 3.): ad haec vero vitae Christi initium non pertinebat. Neque id agebat, ut divinam in vitam Christi ἐνεργείαν per singula hujus vitae momenta persequeretur, sed vero intimam Christi cum divino patre atque sublimiore rerum ordine conjunctionem, per *totam* vitam nunquam interruptam, proponeret (Joh. I: 52. Joh. V: 26.). Internam gloriam Christi, quae ipsius personâ cernebatur, majoris fecit, quam externam illam, quae miraculis, in ejus gratiam patris, maxime eminuit. Addendum fortasse, nobis in τῷ εὐαγγελίῳ πνευματικῷ, cujus symbolum fere erat: ἡ σέξ̄ οὐκ ὄφειλεῖ οὐδὲν (Joh. VI: 63.), non exspectandam esse uberiores de Jesu hominis miris natalibus expositionem (2). Denique observandum, in

(1) Cf. AMMON (*Opuscul. Theoll. Comm. V.*) « Ambigitur de argumentis, quibus ductus JOHANNES nativitatem CHRISTI Bethlehemiticam silentio praetermiserit. » Hic rei causam in eo invenit, quod Synoptici *politica* maxime ratione JESUM Messiam esse probaret, Vaticiniis e V. T. allatis: JOHANNES vero *moraletm* CHRISTI indolem, tanquam τὸν τοῦ Θεοῦ puriore ratione descripsit, cujus sermones atque facta magis quam fata adumbravit, cujusque natales silentio praeteriit, quia ejus jam tempore tot figmentis exornari coeperant.

(2) Si vera sit Ecclesiae traditio (vid. IRENAEUS *adv. Haer.* III c. 11.), quae monet, JOHANNIS Evangelium contra CERINTHUM fuisse conscrip-

JOHANNIS Euangelio nostri placiti vestigia quaedam deprehendi, quibus appareat, Apostolum, quamvis historiam silentio praetereat, ipsam tamen rem agnovisse. Huc pertinent *et* loca a nobis jam allata (Joh. I: 13. VI: 41. X: 36.) *et* in primis locus Joh. III: 6. Si enim, JOHANNE auctore, quodcumque e carne nascitur, caro sit (1), sequatur inde necesse est, illum, qui summae perfectionis exemplar est atque magister, οὐκ ἔξ αἰμάτων, οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρῶς fuisse natum.

Quaerentibus, quare PAULUS Apostolus nostrum argumentum non uberius excoluerit, plura responderi possunt. Etiamnunc enim rei cognitio facile in abusum trahi poterat, atque hostium Religionis Christianae calumnias excitare. Ethnico-Christianis antea fabulae innotuerant de Diis, mulierum amore captis, Heroes-

tum, mirum videri possit, Apostolum nostram rem non uberius exposuisse. Ut autem verum fatear, cum CREDNERO *Einl. in das N. T. I.* p. 244. hanc traditionem non satis firma mihi tueri videntur argumenta.

(1) Ponimus igitur h. l. voci σαῶξ notionem *perversitatis* atque *vitiositatis* inesse. Quamvis enim hoc non ex ipsius vocis constanti significatione in JOHANNIS loquendi usu sequatur (vid. e. g. Joh. I: 14.), hic tamen haec significatio urgenda videtur. Voci σαῶξ in genere inest notio imbecillitatis atque tenuitatis: ubi vero τῷ πνεύματι opponitur, simul *vitiositatem* atque *depravationem* indicare videtur (vid. Matth. XXVI: 41. Rom. VIII: 1. Gal. V: 16.): quod hic etiam obtinet. Hujus interpretationis praesidium quaerimus *cum* in contextu oratione, quae ei haud uno nomine favet, *tum* in ipsius JOHANNIS auctoritate, qui, Ep. I. Cap. II: 16. τὴν σάρκα ejusque ἐπιθυμίαν diserte inter ea recenset, quae non ex patre, sed e mundo sunt. Cf. Cap. V: 19.

que procreantibus, cum quibus fabulis Mythisque facile comparari atque misceri poterat Jesu e Spiritu Sancto origo. Ita autem sanctissimâ re abusi essent, quicumque his notionibus imbuti in eam inquirere aggredierentur. Quod vero insuper tenendum, in PAULI Epistolis ita ad Christi mortem atque resurrectionem omnia referuntur, ut caeteris vitae Christi partibus vix ullus relinquatur locus. Quid? quod in Epistolis, quarum argumentum, maximam partem, vel dogmaticum est, vel morale, perfectam totius vitae Christi adumbrationem exspectare non possumus. In genere de Christi origine non adeo multa protulit Apostolus; ubi vero eam attingit (Rom. I: 3. IX: 5.), non mirificam ejus originem naturali caeterorum hominum opponit, sed de duplici Christi naturâ, divinâ atque humanâ, monet (1). Si autem Ecclesiae traditioni fidem adjungamus, monenti de PAULO, LUCAE, Evangelium conscribentis, moderatore (2), sequatur inde necesse est, Apostolum nostram rem *et* novisse, *et* vero probare debuisse. Et si vel demonstrari posset, PAULUM Apostolum hanc vitae Christi partem non tanti fecisse, neque magnopere illam ursisse, exinde nihil sequeretur ad nostram sententiam impugnandam. Nititur enim primum fundamento *historico*: quod si semel firmiter constitutum est, alicujus silentio non amplius corruere potest. Neque tamen nos statuimus, a PAULO mirum Christi ortum inferiore positum fuisse loco; con-

(1) Vid. NEANDER, l. l. p. 13.

(2) Vid. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III. 14.

tra, quamvis hoc argumentum non diserte exponat, tamen cum omni ejus doctrinae catenâ tam indivulso nexu conjunctum est, ut ab ea divelli non posse videatur. Cujus tamen rei expositione inpraesentiarum supersedendum esse censemus.

JACOBI taudem atque PETRI silentium nostrâ de re nemini mirum accidat, epistolarum, ab iis profectarum, et brevitatem et argumentum et consilium in memoriam revocanti. Ad *illum* certe quod attinet, si eum genuinum Christi ἀδελφὸν habendum esse censeamus, ei uberiorem nostrae rei notitiam difficile abjudicare possimus: imo tunc peculiarem vim haberet haec ejus loquendi ratio, qua se ipsum non ἀδελφὸν, sed δούλον Jesu vocat.

APOLOGIAE CONCLUSIO.

Hisce igitur, pro nostris quantuliscumque tandem viribus, expositis, ad Apologiae finem jam pervenimus. Si vero campum, quem percurrere nobis licuit, oculis remetiamur, nobis, ni fallor, magis etiam persuasum erit de firmo fundamento, quo nititur nostra fides, mirificae Christi origini habita. *Historicum* illud fundamentum jure vocari posse, nobis constitit: non humanis placitis dogmatibusve morem gerimus, sed historiae auctoritati hac in re cedere debemus. Hujus historiae *authentiam*, a nonnullis frustra impugnatam, veramque *ejus indolem* ab aliis injuriâ neglectam videmus. Nobis vero, hujus historiae et probabiles *fontes* recludentibus, et argumentum illius observantibus, quod humana sollertia non facile excogitasset, et pulcerrimam ejus

harmoniam in mediâ pugnae specie suspicientibus, ita dilucide rei veritas apparuit, ut vix illustrioribus egere videamur pro rei veritate documentis. Nulla enim deprehendimus Christi fata factaque, quae difficultatem, haud superandam, nobis objecerint; aequalium autem atque consanguineorum loquendi agendique rationem probabili ratione expediri *posse*, probavimus. Jesum Apostolosque rarius quidem nostram rem memorantes audivimus, simul vero maximam in hoc silentio sapientiam admirati sumus, quin rem nostram ab iis saepius poni, imo cum gravissimis eorum placitis junctam esse vidimus. Haec profecto si reputemus, incrementum accipit fides, atque Petrinum illud: «οὐ γὰρ σεσοφισμένοις μὲν τοῖς ἀξιοκλονθήσαιμεν» repetimus laeti.

Ne tamen me quis tam arrogantem putet, qui omnibus difficultatibus lucem admotam omnibusque dubiis a me fundamentum sublatum esse existimarem. Optime sentio, permulta quaerenda, opponenda, imo respondenda manere. Illud vero nobis constet oportet, rem, quae sat firmis nitatur argumentis, non esse mittendam, etiamsi nonnullis prematur difficultatibus, quas moveat humana ratio, nec tollere possit eadem. Observandum porro, nostram rem ita esse compositam, ut vanae curiositati parum satisfactionis procuret: ita simul, ut sanctâ quadam obscuritate offundantur ejus incunabula, qui e sublimiore quodam ordine humanam ingrederetur societatem! Id vero in primis mihi urgendum videtur, in re, qualem hîc agitamus, mathematicam *demonstrationem* ab aequiore judice exigi non posse. Jure mihi pronuntiasse videtur celeberrimus recentioris aetatis Apo-

logeta: «veri nominis Apologeticam tolli, si *apodicticâ*
 «atque *mathematicâ* ratione placita Religionis *demon-*
 «*stranda* sint. Sensui nostro religioso sunt *probanda*,
 «ut *fidem* iis habeamus. Haec autem *fides* aliam quam-
 «dam, sed non minorem veritatis persuasionem nobis
 «impertitur, quam scientia quaevis: nam non oritur
 «illa persuasio e sensuum intuitione, sed e sensu mo-
 «rali» (1). Probatio autem illa nostrae disquisitioni ad-
 hiberi *et* potest *et* vero debet. Quod, age! jam aggre-
 diamur, ubi, in ultimâ speciminis parte, Dei sapientiam
 atque benignitatem in mirifico Christi ortu constituendo
 laeti piique admirabimur, atque datâ operâ in unicae
 hujus originis *momentum* inquiremus.

(1) Vid. ULLMANN, *Sündlosigkeit Jesu*, p. 86.; cf. et DE WETTE, *über die Religion*, p. 44.

P A R S III.

REI MOMENTUM.

Aridum foret atque jejunum, si multifariam rationem explicare studeremus, qua nostrum, quod exposuimus, placitum descripserint, enucleaverint, imo inquinaverint Dogmatici. Neque infandos lubet renovare dolores, neque, quae in Introitu primaria attigimus, hîc repetenda censemus. Multo minus nos, temerarii homunciones, arcana Dei perscrutari conabimur *εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακλῦσαι. Τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον* et nos μέγα esse censemus, lubenter de rebus divinis inscitiam profitemes, imo doctam habentes illam inscitiam, qua rem nescire velimus, ab optimo Magistro non uberius expositam. Sufficiat nobis nonnulla invenisse, quibus divinam sapientiam atque benignitatem hac in causâ animadvertere possimus. Disquisitionis autem hujus termini, quos

ne jam excesserim vereor, ut brevis sim, monent. Modeste igitur iudicium proferre liceat de triplici nostri argumenti momento: *historicum* dico, *dogmaticum* atque *ethicum*. Hanc viam ineuntes, aliquid certe observare nobis continget, de Jesu mirificae originis nexu cum *caeteris ejus fatis*, cum *Religionis nostrae doctrinâ* atque cum *ejusdem placitis moralibus*.

SECTIO I.

MOMENTUM HISTORICUM.

Nullam rem novi, qua inquirenti magis constet de vitae Christi unicâ prorsus magnitudine, quam divinae harmoniae observatione, per quam singula hujus vitae fata inter se sunt conjuncta. Hanc harmoniam non dilucide quidem ubique indicare possumus: saepius eam suspicamur tantum: ubi vero hanc cernere nobis videmur, pensum est *et suavissimum et vero utilissimum*, quatenus divinae sapientiae arcana nostraeque imbecillitatis limites hoc sinant, eam exponere: quae res egregie valet *et ad divinae Providentiae in vitâ Christi regundâ benignissimum consilium magis perspicendum, et ad ipsius vitae Jesu veram indolem magis illustrandam*. Nullum autem argumentum internum afferri posse videtur, quo partis alicujus historiae Christi veritas, magis exsplendescat quam si probari possit, in hac ejus vitâ, extraordinariâ prorsus illâ, diviuam harmoniam tolli, multaque jure desiderari, nisi res, de qua agitur, vera sit habenda.

Illud autem obtinere videtur in eâ, quam tractamus, historiâ. Cujus rei observatio sponte nos ducit ad momentum ejus *historicum* interius persentiscendum.

Singularem prorsus hominem Christum jure dicimus. Jubenti ei tempestates obediunt, morem gerunt naturae vires atque phaenomena, ipsa etiam mors frustra reluctatur. Voces e coelo in ejus gratiam emittuntur, intimamque ejus vel cernimus vel suspicamur cum sublimiore rerum ordine conjunctionem. Ita nobis, τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς, jure admirantibus, per totam ejus vitam τὸν οὐρανὸν ἀνεργότατα videre contingit, καὶ τοὺς ἀγγέλους τοῦ Θεοῦ ἀναβαίοντας καὶ καταβαίοντας ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου (Joh. I: 52.). Hanc coelum inter atque terram communionem, quae in Jesu cernebatur, continuo in eo animadvertimus. Ita vivit, loquitur, agit, qualem alium loquentem, viventem, agentem nemo vidit, nec unquam videbit. Postremâ accedente vitae horâ latere magis incipiunt sublimioris solis radii, nec tamen evanescent. In villâ Gethsemaniticâ luctanti, vermisque ad instar in pulvere repenti, mox Angelus apparet, qui reficit vires, animumque ei addit. Proditionis osculo inimicorum rabiei traditus, de duodecim loquitur Angelorum legionibus, qui, dummodo velit patremque invocet, praesto erunt ad eum ex eorum manibus eripiendum. Catenis vinctus, coram PILATO declarat: σὺ λέγεις, ὅτι βασιλεὺς εἰμι ἐγώ (Joh. XVIII: 37). Cruci affixus, regni sedes distribuit, earumque unam latroni promittit. Coelum cum terrâ facit, ad ejus innocentiam

confestim testandam. Tandem atrocissimam mortem occumbit, jamque agunt triumphum inimici, ob victoriam, quam reportasse videntur. Sed videntur tantum. Ob hanc mortem coelum luctu vestitum, terramque tremebundam videmus ob facinus indignum. Vix autem eluxit aurora illa tertia, cum Ille, inimicorum, peccati, mortis adeo victor, sepulcrum, quo erat reconditus, triumphans relinquit, vitamque gloriosam vivere incipit, quam mox, in coelum sublatus, etiamnunc vivere pergit.

Ponamus jam, nos hujus vitae initia ignorasse, caetera vero, divino suo fulgentia splendore, cognovisse: qualia huic viro primordia vitae tribueremus, ad totius vitae harmoniam accommodata, si ea effingendi licentia nobis daretur? Aut fallor, aut *a priori* etiam jure statueremus, hujus vitae initia a consueto rerum ordine recessisse, adeo ut, si quis nobis obtrudere vellet, vulgaria plane ea fuisse, non faciles ei aures et assensum praeberemus: imo in divinâ totius illius vitae harmoniâ initium desideraremus, caeteris plane adaptatum. Hac autem ratione erroris egregie convincuntur, quicumque omnia extraordinaria in Christi vitâ publicâ admittunt, natales vero ejus nostris *plane* pares fuisse contendunt. Divinam enim illi concordiam dirumpunt, atque perfectissimae harmoniae, quae Jesu vitam humanam constituit, aliquam particulam temere demunt. Exemplo rem illustremus. Christi conditionem externam minime lautam splendidamque fuisse, satis nobis constat; non habebat filius hominis, ubi caput reclinaret, atque aliorum liberalitate maxime sustentari

debebat. Jam, si de illius familiâ, de fratribus atque sororibus, de tenui vitae conditione nulla prorsus nobis innotuissent, duae vero nobis proponerentur sententiae: altera, eum in aulâ quadam regiâ natum atque Hierosolymis educatum fingens, altera de praesepe Bethlemiticâ, deque parentibus Nazarethanis monens, quamnam harum eligeremus? Posteriores, ni fallor, certe omnes illi eligerent, qui infantiae atque pueritiae historiam quaererent, publicae vitae enarrationi plane respondentem. Ita et totius vitae Christi harmonia a nobis requirit, ut, quaecumque de ejus natalitiis extraordinaria in Sacro Codice proferantur, fide amplectamur: imo, totius vitae ratione habitâ, aliud initium non expectemus.

Fateor equidem, quamvis extraordinarium aliquid expectantes, non facile in *hujus* potissimum primordii suspicionem incidissemus. Sed vel sic tamen ita se nostra res habet, ut, ubi semel satis firmo de eâ constet documento, facilius eam amplecti possimus. Pulcherrime enim cum omnibus concinit illis, quae nobis exhibet vitae Christi historia. In hac ubique vestigia cernimus peculiaris cujusdam divinae providentiae, Jesu vitam factaque moderantis: in nativitatis autem narratione providentiam illam peculiari ratione ejus parentes prosequi legimus. Tota vitae Christi historia hoc nobis probat: ὅτι τὰ μωρὰ, καὶ τὰ ἀσθενῆ, καὶ τὰ ἀγενῆ, καὶ τὰ ἐξουθενήμενα ἐξελέξατο ὁ Θεός (1 Cor. I: 27, 28.); neque tamen initio hanc sapientissimam moderaminis regulam missam fecit providentia divina: pauperem enim paucisque cognitam Mariam Deus caram habuit, et ad summum

fastigium honoris evehit. Nunquam non in Christi historia summum Numen ita agens videmus, ut nunc ejus manum deprehendere videamur, mox vero eadem nobis lateat, utque fide magis amplectamur, quam quidem mente intelligamus atque persequamur illius efficacitatem (1). Nec dissimile quid in nostrâ narratione cernere licet, ubi mox ejus favor in pauperem virginem elucet, quae per Spiritum Sanctum Jesu mater evadit, mox vero res ita tegitur, ut eadem illa, JOSEPHI sponsa, ab omnibus hujus uxor, ejusdemque filii mater salutetur. Ita ubique sibi constat divina efficacitas, quam nobis totius vitae Christi historia cernendam proponit! Quid alii, his perpensis, sentiant, nescio: ego vero mihi videor sublimiorem quamdam hic perspicere rerum analogiam, harmoniamque divinam, quae in Jesu personâ vitaeque fati nusquam desideratur.

Dictorum veritas magis etiam, ut spero, apparebit, si, datâ operâ, rem, quam tractamus, comparemus cum aliâ quadam vitae Christi particulâ. Historiam resurrectionis Christi eligamus, utpote initium enarrantem *novae* illius vitae, quam hisce in terris vivere incepit. In utrâque enim historiâ hominum animos dubitationibus dilaceratos videmus: in utrâque itidem, cum a nullo homine de re, ipsis exoptatissimâ, certiores reddi possent, Angelus apparet, qui iis fidem animumque addit. Ita in Christi historiae initio aequè ac sine sublimiores illas observamus naturas, quorum ope con-

(1) Vid. NEANDER, in pulcerrimâ praefatione, Ed. 2. *Leben Jesu* praemissâ, pag. 13.

silia sua exsequatur Deus. Pulcherrima certe harmonia! Sed et haec advertamus. Reditus Christi in vitam ita narratur, ut in rerum adjunctis, in terrae motibus, in satellitum tremore, in mulierum conditione describendis multi sint Euangelistae; de ipsâ vero Jesu resurrectione nihil fere exponant, probe nimirum sentientes, talem rem a se nequaquam adumbrare posse. Eandem vero modestiam et nostrae referunt narrationes, in quibus Mariae dubia, Angeli responsum, virginis obedientia, iter, animique gaudium copiose describuntur, ipsa vero res, conceptio a Spiritu Sancto, silentio sanctissimo praeteritur. *Et natalium et resurrectionis historia incipit adeo a miraculo quodam, humanum Christi corpus spectante.* In utrâque historiâ Dei manus apparet, tanquam τοῦ ζωοποιούντος τὰ νεκρὰ, καὶ καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα, ὡς ὄντα. (Rom. IV: 17.). CHRISTI adeo corpus originem debuit τῇ δυνάμει τοῦ ὑψίστου· in vitam vero rediit idem διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρὸς (Rom. VI: 4.). Ad Spiritum Sanctum refertur Jesu hominis origo; et, quamvis illius resurrectio nunquam de industria, ut videtur, Spiritui adscribatur, diserte tamen PAULUS promittit: ὁ ἐγείρας τὸν χριστὸν ἐκ νεκρῶν ζωοποιήσει καὶ τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν, διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος ἐν ὑμῖν (Rom. VIII: 11.). Qualis nobis appareat CHRISTUS, in vitam resuscitatus, si quaeras, PAULUS respondet (Rom. I: 4.): περὶ τοῦ ὀρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει — ἐξ ἀνασιτάσεως νεκρῶν· simile vero quid de Christo, in carnem apparituro, Angelus affirmat: διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον κληθήσεται υἱὸς Θεοῦ. Quid plura? Fateor equidem, resurrectio-

nem Christi majore argumentorum numero demonstrari, cum Religionis nostrae argumento, imo cum totius Ecclesiae Christianae existentiâ magis cohaerere, quam mirifica Christi primordia: concedant vero et alii, nostram rem hucusque adversati, pulcherrimam quamdam in CHRISTI vitae historiâ obtinere harmoniam, quae, nostram rem si admittas, mirum in modum augetur, sin vero eandem rejicias, misere dirumpitur.

Objici forte possit, clarissimorum virorum vitae primordia saepius miraculis exornari, ut haec vitae publicae splendori respondeant. Ita heroum, regum, philosophorum incunabula illustravit remota antiquitas. Sed quot nominibus ab his Christus differt! *Illi* enim, obscuro saepius loco nati, ingenii acumine, aequalium favore, temporis opportunitatibus usi, ad summum illud famae, virtutis, doctrinae culmen pervenerunt, quo eos aequales admirabantur. Jesus vero non sensim, obscuro quodam sensu ductus, post varias animi dubitationes, *consilium* cepit, ut populi Judaici Messias, generisque humani Sospitator evaderet: sed a patre hoc mandatum acceperat (1), et προεγνωσμένος ἦν πρὸ καταβολῆς κόσμου (1 Petri I: 20.). *Illi* suo Marte quaevis agitabant praeclara, et siderum instar historiae coelum illustant: sed alii tamen inveniuntur, qui ad eorum laudem accedunt, vel iis jure aequiparantur, imo saepius eos superant. Christus vero nullum habet, quocum comparari possit; nullus adeo est qui vere magnus sit dicendus,

(1) Cf. ULLMANN, *Sündlosigkeit Jesu* pag. 92., et HASE, *Leben Jesu* Ed. 2a. pag. 32.

nisi fide ipsi habitâ: imo ita totius historiae meditullium constituit atque centrum ⁽¹⁾, ut hujus coeli sol jure dicatur, quo extincto, nocte premuntur omnia. *Illi* in mundo physico et intellectuali multa moliti sunt, mutarunt, emendarunt subinde: hic vero in mundo morali novam coelestemque lucem accendit, qua ignorantiae, peccati, calamitatis, mortis adeo dispellantur tenebrae; imo novam vitam spiritualem in homine excitavit, fideique nostrae sanctissimae *et* auctor est *et* vero ipse objectum. *Illi* efficacitatem habuerunt in una alterave gente: hujus vero apparitio totum mundum spectat, omnesque homines tandem beare studet. Quae omnia cum ita sint, quis est, quin intelligat, unicum illum hominum Sospitatorem, a Deo designatum, cujus adventum omnia praeparaverant atque expectaverant saecula, extraordinariâ ratione in hominum ordines intrare debuisse?

Prouti autem, ab unâ parte, historia mirificae nati-
tatis egregie valet ad totius Christi vitae harmoniam intelligendam, ita quoque, ab alterâ parte, caetera, quae in Christo extraordinaria cernuntur, egregie ex hoc mirifico ortu explicari possunt. Ab illo, quem divinâ vi natum scimus, jure expectamus vitae periodum alteram atque ultimam, primae illi respondentem. Neque miremur adeo, leges naturae ei subjectas esse, cujus natales naturae terminos excedunt. Neque, quae in ejus vitâ publicâ cernuntur, stupenda nobis scrupulum

(1) Egregie hoc mihi exposuisse videtur *στρια*, in opere *Apologie des Christenthums*, Tom. I. Epist. 7.

injiciunt, lucis illius coelestis, quâ ejusdem incunabula collustrantur, recordantibus. Etsi enim haecce nequaquam e miro Christi ortu explicanda duco, utriusque tamen rei collatio egregie valet ad τὸ θεῖον, quod per totam Christi historiam spirat, interius etiam persentiscendum.

Ne tamen quis putet, nos de verâ Christi humanâ naturâ aliquid detrudere, eum mirifice natum dicentes. Hoc si faciamus, certe plurimum de totius vitae Christi harmoniâ detraheremus. Naturae quidem humanae *ideale* in eo cernimus: hocce autem ideale unice in Christo non larvâ humanâ, sed naturâ nostrâ indutum cernere possumus. Itaque *a priori* jam, totam ejus vitam contemplantes, ejus initium vero nescientes, ejusmodi quid jure expectaremus, quo cum *hominem* dicere possimus. Talia autem vitae Christi primordia enarrant auctores Sacri, hominem quidem, divinâ vi natum, cum habentes, sed hominem tamen. Illum, quem infantem in praesepe jacentem, adolescentem sensim increscentem, virum vitae commodis, subsidiis, gaudiis atque aerumnis utentem continuo cernimus, illum, inquam, e muliere natum videmus, carnisque et sanguinis participem redditum. Jure rejiceremus nativitatis historiam, quae Doceticum illum nobis proponeret infantem, quem postea verae naturae humanae socium invenimus; hanc ob causam summo jure *Valentinianorum* atque *Marcionitarum* errores semper rejecit Ecclesia; ubi vero natales *humanae* prorsus describuntur illius, quem amplissimo sensu *hominem* dicimus, jure iis fidem auresque praebemus. Dictorum summa haec est: Christi nativitatem per se

si spectes, nulla magis absurda excogitari potest: si vero eam cum caeteris ejus fati factisque conjungas, nulla magis Deo Christoque digna. Pulcerrime enim cum omnibus conspirat, quae de Christo cognita habemus. Illius est origo extraordinaria, cujus vita nil non mirandum continet; pure humanum simul est vitae initium, quod verum naturae nostrae participem cum nobis conspiciendum praebet. Verbo, divina atque humana, extraordinaria et consueta, hîc ita conjuncta invenimus, ut nulla vitae primordia excogitari possint, ad totam Christi vitam magis adaptata.

SECTIO II.

MOMENTUM DOGMATICUM.

Exposito nexu nostri argumenti cum universâ Jesu historiâ, procedendum nobis est ad observandam ejus conjunctionem cum gravissimis doctrinae Christianae capitibus. Jure enim *dogmaticum* momentum placito adscribere videmur, quod arctissime cohaeret *et* cum Christi ἀναμαρτυρίᾳ, *et* cum patefactione divinâ, quam illi acceptam referimus, *et* cum ejus morte salutari. Brevissime mentem exponemus.

§ 1.

Christus ὁ ἀναμαρτυτος.

Nulla sane ab experienciâ atque historiâ magis commendatur Sacrae Scripturae sententia, quam Paulina

illa: πάντας ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι. Ubique videmus, sensum ratione praevalere, corporis illecebris nimiaque γλαντίᾳ a rectâ viâ homines abduci, verbo, in malum proniores, in bonum tardiores omnes a vitae inde primordiis esse solere. Tristissimum hocce heredium, ab ΑΔΑΜΟ inde a parentibus ad liberos translatum videmus, neminemque terra tulit, quin hac turpissimâ maculâ a pueriliâ inde inquinatus fuerit.

Christum vero si spectamus, longe aliud quid cernere nobis contingit. Hunc omnino fratribus similem fuisse scimus, ast vero sine peccato. In illo admiramur unicum illum, ex ΑΔΑΜΙ stirpe natum, quem nullae illecebrae, nullaeque sensuum tentationes ad malum seduxerunt. Scilicet perfectissimo eminebat animi aequilibrio, nullamque in eo animadvertimus sensuum vim, quam ipsa ratio non statim coërcebat. Non talis sensus moralis vis in eo conspicua est, qua et nos, fidem ipsi habentes, pravasque cupiditates fortiter superantes, excellere possumus, sed talis sensuum atque rationis, intellectus atque voluntatis harmonia perfectissima, quae nullo prorsus peccato unquam interrupta fuit; prava enim cupiditas, si in Christo adfuisset, etiamsi statim ab eo superata fuisset, tamen ejus absolutam ἀναμαρτησίαν sustulisset. Talis omnino erat, ut nullum etiam peccati vestigium in remotissimâ ejus juventute cogitari possit, imo ut *et ipsi et Apostolis*, hac de re luculentissima testimonia proferentibus, fidem non habere non possimus (1).

(1) Uberius τῆς ἀναμαρτησίας notionem hic non persequi possumus. Lectores relegasse sufficiat ad ULLMANNI opusculum saepius jam laudatum.

Si autem ad hujus rei prima initia ascendere velimus, non possumus non ejus causam in ratione quaerere, qua Christus vitam terrestrem vivere incepit. Ita nimirum natus est ille, ut non corruptae illius societatis humanae, quae ab ADAMO inde propagatur, ipse vulgari ratione socius exstiterit, sed extrinsecus in eam intraverit. Humanâ quidem carne indutus erat, nostraeque tenuitatis particeps factus, sed peccati labe non contaminatus, quacum nos nascimur atque adulescimus. Homines sua vitia cum physica, tum moralia, in prole propagare solent, peccatique semina a patribus ad liberos transferuntur. Ita a juventute inde ratio aberrat, atque voluntas in deteriora proruit. Christus vero non ita a patre humano natus fuit, nullaque huic origini debuit attributa moralia. E Spiritu ortus, purus ille exstitit, ac prorsus ἀναμάρτητος summo jure dicitur. A nobis quidem non requiri potest, ut nexum hujus mirificae originis cum Christi puritate morali, nostro Marte, exponamus, aut in naturae arcana abscondita nos insinuemus. Etiamsi hic nexus non exponi possit, ipsa tamen res vera manet, nullamque novi rationem, qua Jesu immunitatem a communi nostrâ ad malum propensione declarare possimus, nisi divinam quamdam ἐνεργεῖαν admittamus, in ejus ortu conspicuam. Fateor, a miraculo ita Christi historiam incipere, sed nonne ipse Christus ἀναμάρτητος summum evasit miraculum, nullâ sapientiâ humanâ unquam declarandum (1)? Imo, me qui-

(1) Vid. *Waarheid in liefde* 1839. P. I. p. 490.

dem iudice, majus etiam miraculum Christi apparitio foret, si ex corruptâ societate humanâ originem repeteret. Neque e trunco corrupto boni rami nascuntur, neque e pravorum parentum conjunctione ipsum Sanctum Divinumque exstitit. Quod ipse legatus divinus concessit, Christum, per Spiritum natum, τὸ ἅγιον vocans. Fa-teor itidem, non diserte ab hoc Christi mirifico ortu ejus ἀναγεννήσας derivare solere Apostolos; sed observandum tamen est, cum eos maxime versari in ipsâ re celebrandâ (2 Cor. V : 21. 1 Petri II : 22. Hebr. VII: 26, 27.), non vero in causis subtiliter exponendis, atque adeo nobis licere, expositam causam hîc adhibere, tum vero, hunc nexum inter Christi mirificum ortum atque ejus puritatem moralem non quidem diserte ab iis exponi, sed tacite tamen poni. Si enim PAULUS Apostolus ab unâ parte omnes peccati labe infectos habeat, utpote ex ADAMO originem ducentes (Rom. V: 12.), ab alterâ vero, Christum proponat, tanquam ἀμαρτίαν οὐ γόνιμα (2 Cor. V: 21.), sequatur inde necesse est, cum Christum extraordinariâ ratione in hominum ordinem ingressum sibi finxisse (1).

Dogmatica vero objectio hîc nobis opponitur. SCHLEIERMACHERO enim monente (2), ad propositum consilium assequendum Christi e Spiritu divino ortus parum valisset. Ipsa enim Maria, Jesu mater, e parentibus nata erat, peccato infectis, horumque labe polluta: ex hac igitur originem ducens, Jesus cum vitioso hominum

(1) Vid. NEANDER, *Leben Jesu*, p. 14.

(2) *Glaubenslehre*, Tom II. § 97.

genere immediate conjungebatur. SCHLEIERMACHERO adeo monente, ad Jesum ab hoc labe immunem constitutum satis valuisset, si Deus omne damnum morale, quod ex humanâ ejus origine provenire potuisset, peculiari suâ efficacitate removisset. Sed injuriâ hoc objecisse videtur. Ne enim urgeamus, *vel* sobolis procreationem ad patrem maxime referri, in primis in Oriente, ubi mulieres minoris aestimabantur, *vel*, infantes saepius patris magis, quam matris indolem atque imaginem referre, observandum maxime est: Jesum e *Spiritu Sancto* fuisse natum. Non adeo hoc tantopere urgendum censemus, quod Maria virum non cognoverit, sed hoc in primis, quod *divinâ* vi hujus filii mater exstiterit. *Τὸ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν ἐκ πνεύματος ἦν ἄγιον.* Hujus quidem Spiritus efficacitatem nos quidem non temere explicare audemus, talem vero jure cam dicimus, quâ Christi primordia *pura* exstiterunt. Quod nisi teneamus, atque JOSEPHI absentiae hîc omnia adscribamus, *vel* nobis commentum instaurandum foret de immaculatâ ipsius Mariae conceptione, *vel* aliqua ratio eligenda, quâ, Scholasticorum more, Mariam a malo haereditario purificatam contenderemus, *vel* longa series exornanda proavorum Mariae, hac maculâ acque purorum, qui antiquam puritatem ad illam integram transtulissent. Nec talem Christi ortum nobis effingimus, quo peccare non potuerit, sed quo potuerit non peccare; hoc vero consilium requirebat, ut *et* e matre humanâ nasceretur, nostraeque adeo naturae verus esset socius, *et* non naturalis propagationis viâ, sed divinâ prorsus efficacitate in lucem prodiret. Qualem

autem vim sobolis procreatio in ejus conditionem moralem habuerit, nemo facile dixerit. Recte igitur SCHLEIERMACHERUS efficacitatem quamdam divinam hinc sufficere contendit, dummodo hanc Dei efficacitatem in eo observet, quod e Spiritu Sancto Christus natus fuerit. Si enim Jesum ex utrisque parentibus humanis natum, hujus vero originis noxios effectus a Deo remotos dicat, alterum miraculum tollere videtur, ut alterum ejus loco substituat (1). Cacterum ab uberiore hujus rei disquisitione lubenter abstinemus, ne a theologicis in physicas disquisitiones aberremus, quod ne nimium jam fecerimus veremur.

Multae quidem, fatebor enim, hic relinquuntur quaestiones, per humanam sapientiam non facile solvendae, sed dicta, spero, aliquatenus tamen exposuerunt, qua ratione cum Jesu ἀναμαρτυρία extraordinary ejus cohaereat origo. Quodsi verum sit, quis hanc non gravem, quin gravissimam esse consentiat? Hic enim Christi ortus primum aditum nobis commonstrat ad divinum Sospitatoris characterem melius percipiendum. Quid? quod Sospitorem eum certo habere non possu-

(1) Vid. HOFSTEDE DE GROOT, l. l. p. 21, et OSIANDER, l. l. p. 92. Similem errorem memorat quoque CALVINUS (*Instit. Chr. Rel. Lib. II. Cap. 13. sect. 4.*) «Pueriliter autem nugantur», inquit, «si ab «omni maculâ immunis est Christus, ac per arcanam Spiritus operationem genitus fuit ex semine Mariae, non esse igitur impurum semen «mulieris, sed viri dumtaxat. Neque enim immunem ab omni labe «facimus Christum, quia tantum ex matre sit genitus absque viri «concubitu, sed quia sanctificatus est a Spiritu, ut pura esset generatio et integra, qualis fuerat ante ADAE lapsum.»

mus, neque summam Dei patefactionem in illius quoque personâ rite explicare, nisi hac ratione extraordinariâ eum natum sciamus. Quod non temere a nobis statui, sequentia, spero, probent.

§ 2.

CHRISTUS, ὁ εἰκὼν τοῦ Θεοῦ — ἡμᾶτα ζωῆς
αἰωνίου ἔχων.

Nullum certe imbecillis mortalibus majoris pretii beneficium concessit paterna Dei benignitas, quam perfectissimam illam sui patefactionem, quam Christo acceptam referimus. Ipse Christus Patrem, omnibus invisibilem, perfectissimâ ratione adumbravit, ita ut et vivendo, et agendo, et homines instituendo absolutam nobis traderit Dei patefactionem. Hanc vero Dei patefactionem in eo cernere non possumus, nisi revera e Spiritu Sancto natum eum habeamus. Quod continuo nobis in oculos incurret, si verbulo *eum* de Christi personâ, *tum* de ejus doctrinâ egerimus. Anxie autem inter harum utramque distinguere, non hujus est loci; perspicuitatis tantum causâ alteram ab alterâ discernimus, quamvis sponte appareat, illius personae, quam Dei imaginem jure dicimus, verba quoque divinâ auctoritate pollere.

In ipsius igitur Christi personâ apparet divini numinis imago. Filii lineamenta intuentes, qualis Patris sit vultus, statim agnoscimus. De se ipso Christus declaravit: ὁ ἑώρακώς με, ἑώρακε τὸν πατέρα. Quocirca hanc imaginem Dei continuo intueri jubemur, ut exinde, qualis

ipse Deus sit erga nos, sponte eluceat. Imo τὴν ἀληθείαν se dixit Christus, atque ab Apostolo carissimo τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν nuncupatus est. Quomodo autem hic, cujus parem nunquam terra tulit, ordinariâ ratione nasci potuisset? Quamvis in terris vivens, minime terrenus erat, atque e sublimiore rerum ordine in humanum ordinem intravit. Quî autem fieri potuisset, ut ejusmodi homo a corruptae nostrae societatis socio e naturae lege procrearetur? Scimus enim, λόγον τοῦ Θεοῦ coram Deo jam exstitisse, anteaquam carnem humanam indueret. Ea patefecit Christus, quae ipse audiverat atque viderat; e coelo descendit, ut mundo vitam largiretur: quâ, quaeso, ratione haec procedunt, nisi naturae lege non consuetâ, sed extraordinariâ prorsus ratione, eum natum contendamus? Sed aliud quid accedit. Ut in Christi personâ perfectissima Dei patefactio contineri posset, non tantum opus erat, ut *extraordinariâ* ratione in hunc mundum intraret, sed ut ejus etiam primordia ab omni labe *pura* exstarent. Quomodo enim Dei imago perfectissimâ ratione elucere posset in eo, qui peccati semina jam a parentibus accepisset? Πνεῦμα ὁ Θεός: quânam igitur ratione summi numinis praestantiam ille personâ suâ exprimere potuisset, in quo, ab infectis vitae initiis inde, sensus prae ratione inordinataque φιλαντία valuissent? Piorum Christi cultorum corpora Spiritus divini templa jure dicuntur, in quibus ipse Deus habitat: nonne multo magis Christi corpus humanum, perfectissimum illud templum, in quo πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς Θεότητος inhabitat, a Spiritu Sancto exstructum credemus? Profecto, prouti Dei

imago pulcerrime elucebat in homine, recens a Deo creato, deinde vero peccati sordibus inquinabatur, ita et illum tantummodo ipsam *τὴν εἰκόνα τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου* jure dicimus, in quo humanae naturae omnis elucet perfectio atque praestantia. Ita vero Christum cognitum habentes, in purissimâ, quam refert, naturâ humanâ summam Dei patefactionem admiramur, imo tali solum naturâ Deum se nobis patefacere potuisse credimus. Hujus gravissimae rei obscuram notionem apud eos jam deprehendimus, qui divinâ Christi luce non collustrati erant. Hos experientia satis docuerat, verum bonumque non ex humanâ stirpe incerti oriri posse. Hinc tam proclives erant ad praeclarorum hominum originem Diis adscribendam. Quod si de PLATONE suo fabulati fuerint Graeci, ex APOLLINE natum eum autumantes, nonne multo majore jure Evangelicis narrationibus fidem adjungemus, de Christo simile quid affirmantibus, quem non supra vulgus sapientem, aut sublimiorem veri testem, sed ipsam veritatem habendum esse movent?

Neque tamen divinam illam doctrinam negligamus, praeclaramque institutionem, quam per Christum generi humano tradiderit Deus. Nam in hac quoque veri fontem, cernimus, indefinito pretio habendum. Summam ei adjungimus fidem, eamque ab omnibus exigimus, qui Christi se discipulos profiteantur. Quod tamen injuriâ facere videmur, nisi e Spiritu Sancto natum eum habeamus. Rectissime enim ULLMANNUS mihi observasse videtur ⁽¹⁾, cum labe morali erro-

(1) l. l. p. 138-151.

rem intellectualem arctissime cohaerere. Nisi igitur Christi vitae primordia pura habeamus, primam ad errandum viam ei patuisse statuimus. Sensuum ita praeratione efficacitatem nimiamque *φιλαντίαν* ipsi adscriberemus, quibus morem gerens facile et se ipsum et alios decipere *potuisset*. Ille vero, in quo divinam harmoniam sensum inter atque rationem cernimus justamque *φιλαντίαν*, falli nescit. Absurdum enim foret ab unâ parte Christo summam tribuere perfectionem moralem, ab alterâ vero eum erroribus subjectum sibi informare. Ejus mentis oculo, peccati foeditate non obscurato, veritatis coelestis lux omni splendore obversabatur. In se ipso habebat limpidissimum atque purissimum fontem, e quo veri flumina, nullis sordibus turbida, continue manarent. Quae ille affirmat non tantum vera sunt; sed ipsam adeo veritatem referunt: poterat enim illam *et* ipse oculis intueri, *et* humano generi dilucide exponere. Jam nemo Patrem nobis melius explicare, vitaeque viam monstrare potuit, quam Christus, quem *et* animo puro *et* mente falli nesciâ instructum scimus. Jam fidem adjungere licet Christi verbis, ubi se *ἀφ' ἐναντιοῦ λαλεῖν* negat, a patre vero se missum esse affirmat. Magna sint, quae de se ipso Christus declaravit, vel sic tamen ejus voci fidem habemus: *κἀν ἐγὼ μαρτυρῶ περὶ ἐναντιοῦ, ἀληθῆς ἐσὼ ἡ μαρτυρία μου* (Joh VIII: 14.).

§ 3.

CHRISTUS, ὁ ἀνὸς ἄμωμος καὶ ἄσπιλος.

Quod si nobiscum recolimus eximia illa eademque sublimia rerum momentam, quibuscum arcte cohaeret

Christi mirifica origo, non possumus non hocce nostrum placitum magni facere; sed alia etiam nobis monenda sunt. Nimirum observandum nobis est arctissimum illud vinculum inter mirum Christi ortum atque salutarem ejus mortem, quod ejusmodi fere est, ut nisi illum admittamus, hanc non suo justo loco habere possimus. Per se apparet, nos mortis Christi vim atque ambitum hinc non exponere posse; nonnulla tamen observare liceat. Vidimus enim, misso Christi ortu e Spiritu Sancto, ejus absolutam ἀναμαρτησίαν explicari non posse. Christum igitur vulgari ratione natum profitentes, nostrae naturae labe eum infectum quoque dicimus, absolutamque perfectionem humanam ei non amplius adscribimus. Jam vero, quid inde sequatur, animadvertite! Sensuum prae ratione efficacitas inordinataque φιλαυτία eo statim valere solent, ut homo a vera virtute colendâ abducatur; quanam igitur ratione scimus, Christum revera perfectissimo erga Deum hominesque amore incitatum fuisse, ut pro ovibus vitam poneret? Exinde pendet omnis hujus mortis vis ad nostram emendationem atque consolationem. Nec tamen hanc fidem fovere possumus, nisi Christum *et* erroris, *et* peccati plane expertem fuisse probe sciamus. — Peccati stipendium mortem esse constat: quo vero modo hoc pretium pro nobis Christus solvere potuit, nisi ipse, pure natus, mortis legi, quatenus peccati erat poena, non subjectus esset? Sed jam ita natus est, ut pura ejus sint primordia habenda, ita ut potuerit omnino peccare, sed tamen non peccaverit, omnique tentationi fortiter obluatus fuerit. Hoc igitur fundamento nisi, contendimus, eum libere

atque e consiliis divinis mortem subiisse. Jam perspicere nobis licet, quantopere ille naturae humanae corruptionem et miseriam intime sentire debuerit, a qua ipse sanctissimus nos liberaturus esset. Hunc profecto agnum, Dei agnum Deoque placentem vocare possumus, utpote nullâ labe infectum, nulloque peccato, a vitae primordiis inde, inquinatum. Talem unice mediatorem Deum inter et homines nobis fingere possumus, qui *et* ratione, qua nascitur, humanae naturae socius exstat, *et* vero hanc humanam naturam, omni suâ divinâ perfectione, ita refert, ut peccato a Deo remotos homines ad eum reducere possit. Huic sanctissimo unice fidem habere possumus, hunc solum perfectissimum intimo prosequi amore! Imo cum Apostolico viro affirmare non dubitamus: *Τοιοῦτος γὰρ ἡμῶν ἐπρεπεὶν ἀρχιτέρεὺς, ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν.* Nec mirum adeo, Christi Apostolos huic ejus *ἀμαρτησίᾳ*, quae in miro ejus ortu fundata erat, plurima tribuisse, ubi salutare ejus mortis effectus commemorabant. Hanc ob causam PETRO Christi sanguis videbatur auro gemmisque pretiosior, qui sanguis erat immaculati et incontaminati agni (1 Petri I: 18). Ideo a Deo justi habemur et tractamur, quia *τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν* pro nobis peccatoris instar tractavit (2 Cor. V: 21). Propterea Christus peccata auferre potuit, quia in ipso nullam peccatum erat (1 Joh. III: 5). Ille populi peccata expiare poterat, tentatisque auxiliari, qui *et* iis plane erat similis *et* omnibus tentationibus obnoxius, sed sine peccato (Hebr. II: 17. IV: 15).

Hoc in primis Apostolus PAULUS exposuit, ubi Christi mortis fructus saluberrimos calamitati opponit, quae ex ADAMI prioris transgressione in universum genus humanum redundaverit (Rom. V: 12-21). Ex ADAMO enim peccatum pariter ac mors propagari atque dominari coeperunt in omnes, qui *naturae* vinculo cum eo conjuncti sunt. E Christo vero, coelesti illo ADAMO, vita et salus oriri coeperunt omnibus, *fidei* vinculo ipsi adstrictis. Quis autem fieri potuisset, hunc corruptae illius societatis ADAMI socium exstitisse? Qui enim ipse turpissimâ labe est infectus, quam, obsecro, ratione, aliorum malo medicinam afferre possit? Sed nunc scimus, eum, aequae ac ADAMUM, pure e Dei creatoris manu provenisse, purumque mansisse, nostrique mali medelam ab eo jure exspectamus. Ipse enim ADAMUS, a pristina puritate relapsus, societatem corruptam condidit: alter vero ille ADAMUS, pure natus, et hacce puritate nunquam destitutus, societatem demum condere potuit, in quâ gratia, sanctitas, vita regnarent! Jure igitur PAULUS id urgebat, τὸν δεύτερον Ἀδὰμ esse κατὰ τὸν ἕξ οὐρανοῦ, oppositum illum priori, quem ἐκ γῆς atque κοίτων dixerat (1 Cor. XV: 47).

SECTIO III.

MOMENTUM ETHICUM.

Exposito igitur nexu inter Jesu mirificum ortum atque gravissima rerum momenta, tandem nonnulla brevissime disputanda videntur de nostri argumenti conjunctione

cum Religionis Christianae morum praeceptis. Triplici observatione hoc munere defungamur.

I. *E Jesu extraordinariâ nativitate egregie apparet, qualis revera sit humana natura, et quantopere haec differat ab hodiernâ hominis conditione* (1). Nulla morum praecepta inculcari possunt, nisi nitantur accuratissimâ hominum cognitione; neque nos, horum praeceptorum ope, ad majorem perfectionem escendere poterimus, nisi nostrae naturae propriam privamque indolem probe perspectam habeamus. Quod autem perquam difficile foret, nisi Christi purissimam originem, atque inde ortam perfectissimam sanctitatem, luce Euangelii, contemplari possemus. Christum enim si exceperis, omnes homines, a vitae initiis inde, ad peccata quosque sua trahi ducique videmus, nullumque unquam terra tulit, quin pravis cupiditatibus seductus, et, multo temporis spatio anteaquam rationis vis increcere coepit, uti et deinceps, multifariâ ratione ad malum perductus sit. Quod et in nobismet ipsis observamus, et in nullis non aliis. Quis jam non putaret, peccatum hocce ad ipsam naturam humanam necessario pertinere, adeoque ipsi inhaerere, ut homo, prouti edit bibitque et aurâ vescitur, sub peccati quoque langueat dominio? Audivissemus forte de ADAMO, pure a Deo creato, sed hanc innocentiae conditionem primi hominis mere idealem haberemus. Notionem fortasse nobis informare possemus melioris cujusdam status, in quo ab omni labe liberi futuri simus, sed ad hunc statum non perveniri posse

(1) Egregie hoc exposuit clar. HOFSTEDE DE GROOT. I. I. p. 32.

putaremus, nisi ipsâ naturâ humanâ sublatâ. Quid? quod felicitis illius temporis praeteriti recordationi, meliorisque stadii futuri expectationi, semper se opponeret infelicissimae praesentis nostrae conditionis imago, in qua peccatum in omnes omnino dominari videremus. Sed jam melius nos edocuit illa, quam tractavimus, historia. Semel saltem hisce in terris aliquis exstitit, peccati contagio non infectus, et tamen verus naturae humanae socius, κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμοῖος. Veram humanam Christus assumpsit naturam, sed sine peccato. Itaque peccatum non pertinet ad illam naturam: pertinet tantum ad hodiernam depravatamque eorum conditionem, qui ex ADAMO nati sunt. Est labes, quae nobis inhaeret, non vero naturae proprium aliquid. Nec putet quis, nostrâ nos auctoritate hîc novi quid proferre: Ecclesia Christiana semper ita statuit. Hinc *Manichaeos* jure damnavit, qui principium mali aeternum habebant. Hinc M. FLACIUM ILLYRICUM, originis peccatum non *accidens*, sed humanae naturae *substantiam* dicentem, rejecit Protestantismus. Hinc Protestantes peccatum illud originis dixerunt: «*naturae humanae vitiositatem, morbum naturalem, infimam atque habitualement totius naturae humanae corruptionem*» (1). Quod eo magis est observandum, quum illi *justitiam originalem*, in cujus defectu cernebatur peccati originis *pars negativa*, non, prouti Pontificii, haberent *donum Dei supranaturale*, sed *naturalem* justitiam, sive naturae ipsi humanae propriam, illamque *propaga-*

(1) Vid. HASE, *Hutterus Rediv.* p. 197.

bilem, quamvis *accidentalem* tantum (1). GERHARDUS enim rite animadvertisse videtur (2): «si natura humana, «qualis fuit ante lapsum, et qualis est in nobis post «lapsum, substantialiter differunt, sequitur omnino, «Christum non esse nobis ὁμοούσιον.»

II. Praeterea, quod *secundo* loco observandum duximus, *in Christo, e Spiritu nato, adeoque ἀναμαρτυρίῳ, summum nobis cernere licet perfectionis humanae exemplar archetypum, quod omni virium contentione imitari nos oportet.* Nulla morum praecepta nos ad perfectionem ducere possunt, nisi simul perfectissimum aliquod nobis proponatur exemplum, in quo ipsius virtutis ideale cernamus, ad cuius sublimitatem accedere studeamus. Talis autem nobis Jesus proponitur, neque tamen talis ille proponi nobis posset, nisi *et* verae humanae naturae socius, *et* hodiernâ ejus conditione depravatâ immunis exstitisset. Sed objectionem audire mihi videor. «Jesum e Spiritu Sancto natum esse», sic erunt fortasse, qui ratiocinentur, «minime negamus; sed ipsâ «haec re ejus exemplum nostrae conditioni hodiernae non «aptum videtur: ille enim, infelicissimâ labe nostrae «naturae haud contaminatus, minori difficultate a virtutis

(1) Vidd. HASE, I. I. p. 139.

(2) Vid. ejus *loci Theoll.* Loco X. c. 5. § 93. Tom. IX. p. 336. Quem laudat Clar. HOFSTEDE DE GROOT, I. I. Abunde autem ex dictis apparet, quantopere erraverit MÜHLER, (*Symbolik*) p. 72, Ed. 5., qui, emphatice nonnullis dictis, in LUTHERI scriptis *privatis* occurrentibus, ita abusus est, ut exinde Protestantismo sententiam de peccato originis obtrudat, e qua illud peccatum ad *essentiam* hominis pertinere videatur.

«studio retinebatur, et sensuum pellaciâ haud ita facile
 «seducebatur: nobis igitur, e parentibus peccatoribus
 «natis, exemplo non esse potest» (1). Quamvis haec ob-
 jectio, primo obtutu, veri quadam specie splendeat,
 tamen plura ei responderi possunt. Observandum enim
 est *primum*, ad idealis notionem hoc pertinere, quod
 absolutam perfectionem contineat illud; nos enim infi-
 nitae progressionis *et* capaces *et* studiosi sumus, nul-
 lumque adeo nobis aptum est perfectionis exemplar,
 nisi perfectissimum. Nequaquam igitur hac perfectione
 nos ab ejus imitatione, et officii difficultate ab ejus ob-
 servatione revocari possumus: quanam enim ratione,
 quaeso, tunc ipsius Dei indefinitum amorem imitari pos-
 semus, qui tamen continue imitandus nobis proponitur?
 (Matt. V: 48. Eph. V: 1.) *Deinde* vero respondendum,
 Jesum, quamvis e Spiritu Sancto oriundum, tamen e
 Mariâ quoque matre vitam accepisse, ejusdemque adeo
 vitae initium, quamvis purissimum, tamen fuisse *hu-*
manum; neque adeo talis erat, qui peccare non po-
 tuisset, et, quamvis *χωρὶς ἁμαρτίας*, tamen, prouti nos,
 omnibus tentationibus erat obnoxius. His impar esse
 potuisset, prouti ipse ADAMUS, quamvis integer a Deo
 procreatus, tentationibus succubuit. Imo multo gravio-
 ribus tentationibus cinctus erat Jesus, quam quae nobis
 oppugnandae sunt. Testes sunt inimicorum insidia, Di-
 scipulorum imbecillitas, popularium *et* favor *et* odium,
 internæ animi luctationes, cordis dolores, aliaque, quae
 tam saepe in ejus vitâ enarrandâ memorant Euangelistae.

(1) Vid. ULLMANN, l. l. p. 132.

Testes sunt victoriae, quas ex his omnibus reportasse dicitur, atque illius, quem saepe admiramur, heroicus ardor. Quae quidem omnia absurda forent, nisi Jesum peccare potuisse contendas. *Denique* addendum, Christi imitationem non in eo maxime cerni, ut prorsus eadem faciamus, quae ille facere soleret; sed in eo, ut ejus imago menti continue nostrae obversetur, ut, nostro loco nostrâque conditione, hanc exprimere studeamus, iis principiis, quibus is regebatur, nos ducamur, ejusque Spiritu imbuamur. Ad ejus, utpote Sospitatoris, notionem absoluta perfectio pertinet, nostrum vero est, ejus vestigiis, quamvis e longinquo, insistere (1). Haec vero in animum revocantibus, sponte nobis, ni fallor, apparet, *cum* quantopere Christi, e Spiritu Sancto nati,

(1) Apparet igitur, quamnam auctoritatem iis tribuere debeamus, quae nuperrime SCHENKEL scripsit (*über die neuesten Bearbeitungen des Leben Jesu*, Theol. Stud. u. Krit. 1840. III. p. 802.). « Wenn man sich Christum schon physisch aus der Sphäre des gewöhnlich Menschlichen herausgehoben denckt, wenn seine unsündliche Vollkommenheit auf einen physischen Unterschied von anderen Menschen basirt ist, so wird uns, die wir durch den Art der Zeugung verunreinigt sein sollen, gleichsam der Muth gebrochen, demjenigen nachzustreben, der durch seinen physischen Organismus vor jeden Reize der Versuchung geschützt war. Gewis schon von dieser Seite ein bedenkliches Unternehmen, die Sündlosigkeit Christi mit jenem Dogma in Beziehung zu bringen: denn, wen er gleichwie wir in Allen versucht worden sein soll, wenn es ihm dennoch physisch unmöglich war, zu unterliegen, und wenn er hierin von uns, denen diese physische Möglichkeit einwohnt, absolut verscheiden war, so ist er nicht mehr unser Ur- und Vorbild, und seine Versuchbarkeit war nur ein täuschender Schein.» Cf. *ibid* pag. 778 sq.

nobis conveniat exemplum, *tum* vero, qualem divinam sapientiam deprehendere liceat in mirifico Christi ortu. Ita enim fieri potuit, ut perfectio divina primum quidem in uno homine sese manifestaret omni suo ambitu, deinde vero singuli, huic fidem habentes, hanc perfectionem, suo quique loco, exprimerent. Ita Christus in mundo morali sol est atque manet; cujus luce ita collustramur, ut ipsi, nostrâ vice, aliis lucem affundamus. Profecto, si cum hoc ideali summae perfectionis conferamus quaecumque nobis philosophia idealia proposuit, maxime etiam sublimia (1), non possumus non summam religionis Christianae praestantiam laeti agnoscere. In Religione enim nostrâ, idea summae perfectionis ita cum Christi personâ indivulso nexu est conjuncta, ut perfectionem nobis fingere nequeamus, Christi praestantiam superantem. Et vel sic tamen, absoluta haecce perfectio humanâ induitur formâ, ut nobis exemplo proponi posset. Profecto! Religio, quae τὸ πεινελῶς τελείον nos imitari jubet, non nisi a Sanctissimo profecta esse potest; doctrina vero, quae hujus sancti originem non a partibus corruptis humanis repetit, sed ab efficacitate peculiari divinâ, et sensu nostro et experientiâ maxime probatur.

III. Tandem hoc observare liceat. *Symbolicâ quadam ratione Christi e Spiritu Sancto origo nobis demonstrat, quali ratione et nos ad propositam Christi perfectionem pervenire possimus.* Nulla morum praecepta vim habere possunt, nisi novum quoddam princi-

(2) Vid. in primis Cl. VAN HEUSDE, *Initia Phil. Plat.* Vol. II. P. III. p. 110 — 112. et *Brieven over hooger onderwijs*, p. 330 sq.

pium in homine excitatum fuerit, quo ad eorum observationem perducatur. Quale autem hoc principium sit, in historiae, quam tractavimus, speculo cernere licet. In nobis etiam Christus nasci ac vivere debet per Spiritum Sanctum. Allegoricae interpretationis commenta jure odio habemus, neque adeo hunc sensum narrationibus nostris inesse statuimus, *symbolicâ* vero ratione aliquatenus memorata res ex iis elucet. Neque nostro Marte hanc convenientiam animadvertimus inter rationem, qua Christus hanc vitam degere inceperit, et qua in nobis etiam fides oriatur. Praeentem habuimus ipsum JOHANNEM (Joh. I: 13.), qui filiorum Dei natales tali verborum selectione descripsit, ut mirus Christi ortus ejus menti obversata fuisse videatur, utque adeo maximam inter utramque rem convenientiam probe se tenuisse ostendat. Nec mirum. Quid enim Christus extra nos prodesse nobis posset, nisi et in nobis viveret? Hanc vero vitam in nobis non incipit vivere, nisi adjuvante peculiari efficacitate divinâ. Hoc Spiritu ducti, revera et nos filii Dei sumus: amoris principio incitamus, ut ad summam illam Christi perfectionem indefesso ardore tendamus: si vero, quae a vitae initio inde nobis inhabitat, macula nunquam plane deleri possit, firmâ erigimur spe certâque expectatione, fore ut, prouti hîc imaginem terrestris ADAMI referebamus, olim aliquando coelestis illius imago in nobis conspicienda sit!

T H E S E S.

I.

Judaei, tempore Christi, non videntur Messiam expectasse, per Spiritum Sanctum e virgine natum.

II.

Qui Jesu vitae primordia adscribunt, nostris plane convenientia, divinam harmoniam, in totâ ejus vitâ conspicuam, parum perspectam habent.

III.

E narrationis Lucaeae, Cap. II: 40-52., *et* argumento *et* formâ, rite spectatis, gravissimum argumentum depromi posse videtur ad eorum sententiam profligandam, qui infantiae Christi historiam Mythis repletam habent.

IV.

Injuriâ, ut videtur, LÜCKIUS (in *Comment. ad Ev. Joh. I. p. 362*) verba, Joh. I: 31. *occurentia*, καὶ γὰρ οὐκ ᾔδειν αὐτὸν, ita explicat, ut JOHANNES Jesum, ante hujus baptismum, nequaquam cognitum habuerit.

V.

Non audiendi sunt, qui putant, loco Joh. II: 13-17. eandem templi lustrationem exponi, quam Jesum per-
egisse Synoptici (Matth. XXI: 12 sq. Marc. XI: 15 sq. Luc. XIX: 45 sq.) tradunt.

VI.

Errant, qui argumentis *internis* in Criticâ altiore q. d. primum locum tribuunt.

VII.

Euangelii MARCI authenticam contra CREDNERUM (*Einl. I. p. 123.*) defendimus.

VIII.

Τοῖς πολλοῖς, quos LUCAS, Cap. I: 1. memorat, MATTHAEUM et MARGUM adscribendos esse negamus.

IX.

JUSTINI ἀπομνημονεύματα cum nostris fere Euangeliiis Canonicis convenisse videntur.

X.

SCHNECKENBURGERO calculum ad icimus (*Beiträge zur Einl. ins N. T. p. 194 sqq.*), JACOBI Epistolam ad tempus referenti, quo nondum a se invicem abierant

Christiani Palaestineses et Judaei, imo inter antiquissima N. T. scripta hanc Epistolam recensenti.

XI.

GUERICKIO non assentiendum videtur (*Fortgezetzte Beiträge zur Einl. ins N. T.*) dubitanti, utrum JOHANNES *Presbyter* quispiam, ab Apostolo JOHANNE omnino distinguendus, in Ecclesiâ primævâ exstiterit.

XII.

Traditioni in *Historicis* multum, in *Liturgicis* aliquam, in *Dogmaticis* nullam auctoritatem tribuimus.

XIII.

Religionis Christianae veritas atque praestantia non sunt demonstranda, sed probanda. Ut de utrâque rite nobis constet, vigeat in nobis sensus moralis et religiosus necesse est: eos vero, qui hoc sensu destituti sunt, idoneos hac de re gravissimâ judices non agnoscimus.

XIV.

Pauli *de electis* doctrina nil detrahit de ejusdem Apostoli sententiâ de Divino amore, omnes omnino homines complectente.

XV.

PLATONEM in civitate, Christum vero in Ecclesiâ summam hominum conjunctionem sibi proposuisse si reputemus, sponte nobis apparet, et Platonicam philosophiam egregiam ad Rel. Chr. προπαιδείαν continere, et illam huic longe esse postponendam.

XVI.

Verba 1 Tim. III: 15. *σύνλος και ἐδραιῶμα τῆς ἀληθείας*, mihi ad proxime sequentia referenda esse videntur. Egregie igitur ex hoc loco apparere videtur, quoniam fundamento Ecclesia Christiana nitatur.

XVII.

Islamismi per Europam occidentalem propagatio, quae medio aevo obtinuit, egregie valuit ad Hierarchiam papalem infringendam.

XVIII.

Temporis atque Theologiae conditionis ratione habitâ, minime miramur, saeculo XVII. inter Protestantes exstitisse Mysticismum et Piëtismum.

XIX.

Polemica a suggesto sacro removenda est.

XX.

Quamvis in cultu sacro, prouti inter nos obtinet, nonnulla fortasse jure desiderantur, vel sic tamen, quod ad ejus *simplicitatem* attinet, *et* Religionis nostrae spiritali characteri, *et* ipsius cultus externi consilio, *et* Protestantismi indoli maxime accommodatus est.

AAN MIJNEN VRIEND

J. J. VAN OOSTERZEE,

— BIJ ZIJNE BEVORDERING

TOT DOCTOR DER GODGELEERDHEID.

Wat eischt, wat vraagt ge een lied van mij,
Bij 't roemvol feest, dat Gij moogt vieren?
Zoo nederig een' bloem nog, bij
De lauwren, die Uw slapen sieren?
Mijn hart, dat aan Uw' wensch voldoet,
Juicht om den roem, door U verkregen:
Maar ach! mijn wensch van heil en zegen
Is tevens, Vriend! mijn afscheidsgroet. —

En o! dat denkbeeld drukt mijn geest!
Het tweepaar snel vervlogen jaren,
Dat we aan deez' School vereenigd waren,
Zijn we ook elkanders *Vriend* geweest,
Steeds strevend naar hetzelfde doel:
Eén in gelooven, één in hopen:
Zag beider oog één hemel open....
Van liefde, vriendschap en gevoel.

En nu... Uw baan is afgelegd!
Verdwenen is Uw jonkheids Eden!
De maatschappij staat Ge in te treden:
Zij eischt U op; — Zij heeft haar regt!
Wijd' haar, in 's Heeren kerk, Uw kracht,
En zie, door Liefde's arm omstrengeld,
Ook daar nog 't aanzijn U verengeld,
Waar koude werkelijkheid U wacht.

Vaarwel! mijn Vriend! 't vaarwel valt hard!
Maar, 't harte warm, de blik ten hoogen:
Dan (glinstre er ook een traan in de ooggen;)
Verdwijnt de bittere scheidingsmart.
Vaarwel, mijn Vriend! Uw levensvreugd
Zij ongestoord, door niets te krenken;
Maar blijf, wat God U ooit moog' schenken,
Met vuur aan Utrechts School gedenken,
En aan de vrienden Uwer jeugd.

F. S. Jr.

CORRIGENDA.

Pag.	11	Ann. 2	auctores	<i>lege</i>	auctores.
»	12	reg. 1	» 1 ותולדות	»	תולדות
»	13	» 21	Quibus	»	(Quibus
»	13	» 3	Ann. 2 Mthis	»	Mythis
»	57	» 10	videntur	»	videtur
»	61	» 22	opponant	»	opponunt
»	81	» 28	רִיחַ	»	רִיחַ
»	81	» 29	מְרַחֶפֶת	»	מְרַחֶפֶת
»	98	» 18	certe	»	autem
»	129	» 15	de detrahitur	»	detrahitur de
»	138	» 24	סָפֵר	»	סָפֵר
»	141	» 5	ipsim	»	ipsi
»	162	» 5	referendae	»	referenda
»	176	» 21	responderi posterimus	»	respondere poterimus
»	216	» 29	momentam	»	momentum

